× La derniere, la meilleure et la plus ample Edition des Poemata Varia de Beze est de Geneve chez H. Etienne in 4° 1597.[t] Ducatiana p. 286.

Cette edition, qui est rare, fut faite par Venceslaus Merkauski de Zastrissel, qui engagea Beze à lui confier ses Poesies latines pour les faire imprimer

Senebier Hist. Liter. de Genève T. I. p. 288

Hanc Editionem habet Bibl. Marckiana p. 213. No. 1202. Röveriana T. I. p. 278 ff. no. 836. = Ebert Bibliogr. Lexic. T. I. S. 169. no. 2086 (Genevæ H. Steph.) 1597. 4to. 8 Bl. u. 372 S. Exemplare die S. 281 schliessen, sind unvollständig." » Editio princeps.[t] Baue. Suppl. I. p. 211. = Widekind. p. 433. Bibl. Selchow. p. 170. Renouard sur Henri Estienne en 1597. 4. p. 157.

» Vezelium vocavi Bezam, quod patriæ suæ nomen (Vezelay en Bourgogne) ipse nonnunquam describere solet.[d] » Vezelay, castrum Vizelinci vel Vizeliacum ad fluvium Cure in agro Nivernensi situm est, in ipso limite Burgundiæ, sub Dioecesi Augustodunensi (Autun). Nomen ita, uti scripsi, expressum est in amendatissima Ferrei an Feri? tabula (de Mr. du Fer) in vulgaribus autem mendose Verzelet. Nobile est oppidum Concilio 1146. de recuperanda terra sancta ab Eugenio III. habito, de quo Harduini collectio VI, 2. 1293. Labbei X, 1100. Regia XXVII, 181. ubi Vizeliacense concilium vocatur.[t] Thesaur. Epistolic. Gesnerianus p. 166. 170.

» Il y a de Beze une Epitre macaronique (contre Mr. Lizet, premier President) sous le nom de Magister Benedictus Passavantius, laquelle en son genre est un chef-d'oeuvre.[d] (Nouvelles lettres de Mr. Bayle T. II. p. 587.) Baillet Jugemens T. I. P. I. p. 165 not. 1. et T. V. P. II. p. 283. no. 3. Blankenburg zu Sulzers Theorie Bd. III. S. 23. 437.

» De Theod. Beza (nato 1519. mortuo 1605. ætatis 86) poeta agit Baillet No. 1366. T. IV. P. I. p. 428-3? Sacrificantem Abrahamum latine redditum dicit a duobus, et ab Jo. Jacomotio et ab Jac. Brunone. Chr. Saxi Onom. T. III p. 272 sq. 635. in cuius triplex connubium hoc affert Epigramma, p. 273.
Acta Eruditorum 1710. p. 418
Uxores ego tres vario sum tempore nactus
Cum iuvenis, cum vir factus et inde senex:
Propter opus prima est validis mihi iuncta sub annis,
Altera propter opes, tertia propter opem.
Similiter vocabulum opus usurpatur in Epigrammate Merllii de Jac. Cuiacii filia impudicissima Susanna, quod habet idem Saxius p. 329.
Acta Erudit. Lips. 1710. p. 417.
Viderat ingentes Cuiaci nata labores
Alterutrum patri conciliasse decus;
Ingenio haud poterat tam magnum aquare parentem
Filia, quod potuit, corpore fecit opus.

La premiere femme de Beze s'apelloit Claudine Denosse... leur mariage durait quarante ans: la seconde avoit nom Catherine de la Plane, qui lui survécut. Patin s'abuse ~~[illegible]~~ lorsqu'il conte, qu'Etienne Pasquier fit des Vers sur les trois mariages de Theodore de Beze: Uxores ego tres &c. cela n'a pu convenir à Th. de Beze, puisqu'il n'a point eu trois femmes.[t] de Bayle T. I. p. 552. (N) T. ? p. 554. h (Y) Voyez Lettres choisies de feu Mr. Guy Patin Vol. III. p. 205 Lettre CCCCXLIV. et p. 490. Lettre CCCCCVI.

Ipse Theod. Beza Vezelius, teste Raph. Eglino (in ea, quam selectis Catulli carminibus praemisit, epistola) eius discipulo, Martialem mel merum dictitare solitus est, quem vocatur vero ille se vidi me(?) illud lin[illegible] , res ipsa loquitur. Hic enim existimatur ad gloriam carminis Bibbilitarii quem Beza propius accessisse. cf. Joh. Funccius de Imminente L. L. Senect. cap. III. § XCIX edit. p. 221.

De Theod. Bezae Poematis Juvenilibus, Amst. 1683 in 12. scripsit Mr. Graverol. cf. Bayle v. Audebert (Germain) T. I. p. 381. (d)

Quod pag. 104 legitur Epitaphium graecum Εἰς Ῥώβερτον τὸν Στέφανον, idem totidem versibus, sed variis modis vel immutatum vel corruptum, sumptum ex Theod. Bezae Iconibus Virorum Illustrium, exhibuit adiuncto carmine gallico Renouard sur Rob. Estienne p. 347 — Similisque varietas Epigrammatis in Lucretiam pag. 215. quale exhibuit Henri Estienne Apologie d'Herodote Cap. XV. p. 269. Tom. I. avec les Remarques (g) de Mr. Le Duchat.

Sed de iisdem Theod. Bezae Iconibus post alios haec refert Jugler in Struvii Biblioth. Histor. litterar. Tom. II. Cap. VII § IV. p. 1093-4.

„Ex Biographis universalibus Gallorum ceteros aetate superat Theod. Beza. Notae sunt eius Icones id est verae imagines virorum doctrina simul et pietate illustrium, quorum praecipue ministerio partim bonarum litterarum studia sunt restituta, partim vera religio in variis orbis Christiani regionibus nostra patrumque memoria fuit instaurata, additis eorundem vitae et operae descriptionibus, quibus adiectae sunt nonnullae picturae, quas Emblemata vocant. Genevae a. 1580 in 4. Admodum rarum est hoc Opus, quam solam ob caussam eidem aliquid statuendum videtur pretii; Vitae enim delineationes hodie vix mediocriter erudito placebunt. cf. Clement Biblioth. de livres difficiles à trouver Tom. III. p. 283, ubi et versionem Gallicam adducit a. 1581. eadem forma, ipsius consensu Bezae, a Simone Goularto editam variis auctam Iconibus, quae desunt in authentico latino. Adde Baumgartenii Nachr. von einer Hällisch. Bibl. Vol. VII. p. 274. et Jugler in Struvii Biblioth. Histor. litterar. Cap. VII, § IV. p. 1093 T. II.

Est in Petr. Burmanni Sylloge Epist. T. II. p. 213—5. Nic. Nicolai ad Hadrian. Marium Epistola VIII. data Bruxellae 15[illegible] qua Theod. Bezae carmina variis locis illustrantur vel defenduntur.

THEODORI BEZAE VEZELII

Poëmata varia.

SYLVÆ. ELEGIÆ.
EPITAPHIA. EPIGRAMMATA.
ICONES. EMBLEMATA.
CATO CENSORIVS.

Omnia ab ipso Auctore in vnum nunc Corpus collecta & recognita.



ANNO M. D. XCVII.

ZASTRISELLORVM
INSIGNIA,
Quorum in Præfatione fit mentio.







Generosæ & Antiquæ Nobilitatis viro, Domino VENCESLAO MORKOVVSKY *de* ZASTRISELL, *Domino in* BOSKOVVIZ *&* LETONIZ, *Marchionatus Morauiæ Senatori, & S.C.M. Consiliario: Patruo, Tutori, ac Patri suo obseruando. NEC NON cæteris adgnatis meis vniuersis & singulis.*

VENCESLAVS MORKOVVSKY de ZASTRISELL Iunior.

S. P. D.

MAGNO & excellenti ingenio viri, cum diuinum illud, sibi à summo rerum opifice datum, agnouissent, & se doctrinæ penitus dedidissent, quicquid poterat laboris impendi, contemptis rebus aliis, ad inquirendæ veritatis studium, & ad bene merendum de genere humano omne id contulerunt: existimantes, sine hoc indefesso studio homines hominum nomen

nequaquam tueri poſſe, & in perpetuis ac pluſquam Cimmeriis tenebris verſandum eſſe. Hac in ſententia & Pythagoras fuiſſe videtur, qui duo hominibus longè pulcherrima data eſſe dicebat, veritatem amplecti, & beneficiis operam dare: addens vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe. Quàm bene hoc cadat in D. Theodorum Bezam noſtrum, organum illud Dei magnum, ac nobile, teſtantur tot eius lucubrationes, à tot annis editæ, quas præſens ſuſpicit ætas, poſteritas mirabitur: quo viro, mihi, cui ex ſingulari Dei prouidentia contigit cum eo domeſticè ac familiariter viuere, nullum vel pietatis, vel prudentiæ, vel denique virtutum omnium, quæ virum verè nobilem deceant, exemplum contigit videre illuſtrius: &, quod me magis mouet, quódque per omnem vitam in hoc circumferam pectore, cuius ſummo ingenio, ſummo cum iudicio coniuncto, ſumma ætas nihil deterit. Ad veritatis quod attinet ſtudium, quo ardore, & zelo illud amplexus fuerit, iuuenis etiam, quibus & quot periculis ſeſe obiecerit, quomodo patriam, parentes, cognatos, & alia huius vitæ commoda lubens deſeruerit: teſtatur Confeſsio ad parentem ſcripta, Confeſsio, inquam, qua plurimæ Eccleſiæ nunc pro ſua vtuntur: teſtatur Hiſtoria Gallica, & patet hoc Orbi Chriſtiano. Quantum verò mereri ſtuduerit, immò quantum bene meritus ſit de Eccleſia & Chriſti gloria, quantum de bonis literis,

quorum

quorum vel ſolo nomine in omnium eruditorum pectoribus conſecratus dicatúſque ſemper ſtabit ac manebit: quantum denique de multis aliis: ego mihi dicere non ſumo, & ſatius eſſe iudico tantis de rebus tacere, quàm pauca dicere. Certè D.O.M. hunc virum hoc videtur finxiſſe conſilio, vt haberent alij quem imitarentur, cuius ſimiles eſſe vellent. Videbor fortaſſe etiam dum hæc pauca profero, viro modeſtiſsimo, ſi hęc legat, nimiùm in ſui laudatione profuſus, ego mihi nimium parcus. Sed vt ad propoſitum deſcendam, inter D. Bezæ merita infinita, refero ego, & mecum referunt alij, ſcripta quoque eius poëtica. Quum enim Deus hoc ingenium conſtituiſſet omni bonorum genere cumulare, noluit ornamento hoc carere, poëtica videlicet facultate, de qua non minùs verè quàm elegāter Venuſinus noſter: putes hunc eſſe poëtam, Ingenium cui ſit, cui mens diuinior. Itaque vt in aliis, ita in hac quoque arte laudatiſsima excellere datum eſt, & ita excellere, vt etiam princeps ſit habitus Epigrammatis pręſertim ſcribendi, iam tum ętatis, quum in Gallia florerent eruditiſsimi, Ioannes Stracelius, Adrianus Turnebus, Georgius Buchananus, Ioannes Teuius, Antonius Goueanus, Mellinus Sāgellaſius, Salmonius Macrinus. Quid? & ipſis Italis admirationi fuit, inter quos tum facilè præſtantiſsimus habebatur M. Antonius Flaminius, qui non veritus eſt de D. Beza, quum Franciſci ſecundi Genethliacon conſcripſiſſet, in hanc

erumpere vocem,nunc demum ſeſe agnoſcere Muſas ſuperatis Alpibus in Gallias penetraſſe. Non autem hîc loquor de præclaro illo opere poëtico, vtpote Pſalterio Gallicano, quod ita exceptum fuit, vt etiam in Germanicam, Bohemicam, Anglicanam,Scoticam, & plures linguas feliciter ſit tranſlatum,quódque cantant,ac in deliciis habent Eccleſiæ Orthodoxæ omnes:neque de illo loquor, in quo Pſalterium totum variis carminum generibus,Latinè reddidit eruditiſsimè, & penè ad verbum, vitatis quantum potuit fieri paraphraſibus, quod facilè ex comparatione cum magno illo Buchanano apparere poterit:omitto etiam Canticum illud Canticorum Solomonis, verſibus trochaicis dimetris catalecticis ita adornatum,vt facilè alios à ſimili conatu abſterrere poſsit. Sed de hoc opere oratio inſtituitur,quod nunc in lucem damus,quo Bezam non minus meritum eſſe affirmo, quàm in ſcriptis ſuis aliis. An enim hoc non eſt bene mereri,ſi virtutem ſuis ornes laudibus,latentem in bonis ingeniis excites: ſi vitia virtuti obſtantia deteſteris, & quantum in te eſt, tollas:ſi honeſtam defunctorum, & quos Deus aliis prælucere voluit, memoriam in vitam reuoces? Quæ omnia,& plura, quàm hîc ſint præſtita diiudicanda & amplificanda relinquo amicis, viris laudatis. Ij enim in cauſa ſunt,ij multiplicibus tandem effecerunt precibus, vt opus hoc ab ipſo auctore in hac ſumma ſenecta, in tantis occupationibus ſit collectum &

recognitum.

recognitum. Sed recenſendæ ſunt cauſæ, quibus, hoc vt faceret, paſſus ſibi eſt ab amicis perſuaderi. Intellexit enim & pro certo compertum habuit, Iuuenilia iſta ſua poëmata ab Aduerſariis, non tam in ſui, quàm in Dei ipſius odium, ſubinde recudi, & hoc non tantùm, ſed & multò indigniora effingi ac addi. Quæ ſanè audacia, vel impietas potiùs, deteſtanda eſt & intolerabilis. Scripſit iſta D. Beza, liberiùs quidem, ſed iuuenis admodum, & adhortante viro optimo doctiſsimóque Meliore Volmario pręceptore ſuo, edidit, incitatus inſuper exemplis, tam recentiorum, quàm veterum. Sed quàm primùm Chriſti cognitione fuiſſet imbutus, & veræ Eccleſiæ ciuis factus eſſet, nemo iſta priùs, nemo ſeueriùs, & quidem publicè, quàm ipſe D. Beza damnauit: ac ab eo tempore omnia ſua dicta & ſcripta in ſolius Redemptoris ſui laudem direxit. Grauis equidem hæc cauſa, ſed & altera non parum quoque ponderis habet. Admonitus enim fuit, & à non paucis, ſua iſta vndique colligi poëmata, ea præſertim quæ nondum edita, & futurum vt publicentur, inſcio, ſiue etiam inuito auctore: quod ferre nec potuit, nec debuit, ne ab amiciſsimis quidem: edoctus exemplis aliorum eximiorum virorum, qui ab iſtis collectoribus magis deformati, quàm ornati fuerunt. Quibus de cauſis coactus ferè fuit hunc vt in modum præſens opus colligeret & recognoſceret. Quum autem nihil minùs ille cogitaret, quàm de editione, & mihi ex

domeſtica eius dulciſsimáque conuerſatione in patriam eſſet redeundum, placuit viro optimo, & ad omnem humanitatis laudem facto, in perpetuam amicitiæ noſtræ memoriam, me hoc opere, præter omnem expectationem, donare, & meo arbitrio rem totam committere. Ego verò gauiſus tanti viri erga me beneuolentia immortali, & ne quid temerè ſtatuerem, communicaui iſta, tam cum meis, quàm cum D. Bezæ amiciſsimis. Illis itaque non tantùm conſentientibus, verùm etiam ſeriò adhortantibus, ac vrgentibus, prodeunt hæc Poëmata: Poëmata hæc dico, in quibus Muſæ & Charites ipſæ tenellos ſuos digitos fragranti roſarum ſucco delibutos, vt in Callimachi poëmatis olim, abluiſſe ſunt viſæ: ſpe non dubia fretus D. Bezam hanc editionem in optimam accepturum partem. Tibi verò, Patrue obſeruande, ac vobis omnibus Agnati chariſsimi, donum hoc viciſsim dono, offero, vobis dico, & conſecro: Quibus potiùs? Sed tibi in primis, Patrue, pater, & tutor, qui ab ipſa pueritia mea parẽtis erga me vice defunctus es, qui ſecũdùm Deum cauſa es bonorũ meorũ omnium. Tua paterna cura & prudentia factum, vt præclaros illos viros ad ſtudiũ illud ſapientiæ mihi præeuntes audiuerim: ex quibus honoris ac gratitudinis cauſâ nomino Melchiorem Tileſium, Laurentium Circlerum, Ioannem Theopoldum, Gregorium Berſmannum, Wolfangum Amlingum, Ioannem Iacobum Grynæum, & tandem ipſum

hunc

hunc noſtrum D. Theodorum Bezam. Ante omnia mihi ſæpe occurrit, quanto cum fructu, vnà cum multis aliis generoſis adoleſcentibus prima iecerim literarum fundamenta in illuſtri ac celebri Schola Brigenſi Sileſiorum: & propterea nunquam intermitto bene precari Illuſtriſsimo, Reuerendiſsimóque Principi, ac Domino, D. Ioachimo Friderico, Duci Lignicenſi, & Brigenſi, præpoſito Magdeburgenſi, &c. nutritio eius ſcholæ benigniſsimo: optans ſimul & optaturus ſemper, vt Filij quoque celſitudinis ſuæ Illuſtriſsimi, parentis & maiorum laudatiſsimis inſiſtant veſtigiis, ſicuti magna iam de illis ſpes affulget, in primis de natu maiore, Principe Ioanne Chriſtiano. Quod meũ votum augeri ſentio, quoties recotdor (nunquam autem non recordor) eiuſdem laudatiſsimi Principis beneficio, quum iam eſſem in extera mittendus loca, ac ſtudiorum itinerúmque meorum curſus eſſet abſoluendus, Ioannem Paludium Brigenſem, ſingulari quodam fato mihi fuiſſe prȩfectum. Ille enim quantum de me & familia mea, vt paucis multa dicam, meritus ſit, teſtatum reliquit ipſe D. Beza in Præfatione ſua Viri mei Nobilis, & ego apud omnes bonos prædicare non deſino, donec is qui ſum, eſſe deſinã. Vides igitur, dũ alios laudo, te ipſum laudo, ex cuius fonte vel cura fideli hæc proficiſcuntur. Precor autem ex animo, cùm bona tibi omnia, tum etiam hoc, vt nõ minori cum felicitate

ac laude, atque etiam ſub eodem Ioanne Paludio, adminiſtrari cōtingat tutelam Georgij Sigiſmundi Prakſchicky de Zaſtriſell, patruelis noſtri, omnibus nobis chariſsimi, & ſiue ingenium, ſiue induſtriam ſpectemus, non vulgaris expectationis. Sed effeciſti iam, vt ille & in hoſpitio & in conuictu, tam ſua, quàm familiæ totius cum laude, apud D. Bezam mihi ſucceſſerit. Habet præterea ſtimulum veræ ſectandæ gloriæ Georgius Sigiſmundus, quod olim parenti ſuo à clariſsimo illo Eſromo Rudingero, Pſalterij à ſe editi tomus alter eſt dicatus. Habet & populares ſuos, D. Ladiſlaum Baronem Zerotinum, cum præfecto Georgio Scherhakelio ab Harttenfels: & D. Zdenkonem Brtnicenſem, Baronem Valſſteinium, cum Ephoro ſuo Adamo Ropalio à Riffemberg, alióſque amicos Generoſiſsimos, qui ſuis virtutibus currenti calcar addere poſſunt. Eorum enim, quos nominaui ſtudia, peregrinationes, & conatus, ad hunc finem omninò ſunt directi, vt exemplo ſint poſteris, ſuíſque conſiliis aliquando Rempublicam & patriam iuuent. Sed & magnas data hac occaſione, atque immortales habeo gratias, Illuſtriſsimo Heroi, ac Domino Carolo Baroni Zerotino, Arte & Marte clariſsimo, perpetuo Morauię, ac familię Zerotinorum ornamento, Cognato noſtro multis nominibus obſeruando, quòd literis ſuis ac commendationibus chariores nos D. Bezæ

efficere

efficere ſtuduerit & dignatus ſit: vnde, cum non exigua fluxerint cōmoda, precamur Deũ vt nobis hunc Carolum diu ſeruet incolumem, florentem, de patria boníſque omnibus bene merentem. Ita enim audiui ab exteris peregrinantibus, ſe cùm in Germaniam irent, ſtudio ſuo ſatisfeciſſe non ſunt arbitrati, niſi & Morauiam viderint: neque cùm in Morauiam veniſſent, niſi Caroli Zerotini aſpectu & collocutione fruerentur. Cui ſimilem ferè laudem in vicina Bohemia ab exteris obtinet & iam diu obtinuit vir magnificus D. Venceſlaus Budovvicus à Budovva V.Cæſ.M.Conſiliarius, communis amicus noſter. Sed ad te redeo, obſeruande Domine Patrue, Pater, & Tutor, obnixè rogans, vt tibi & toti noſtrę familię precioſum hunc theſaurum commendatum eſſe ſinas. Et quia D. Bezæ placuit eleganti Epigrammate noſtra exornare inſignia, viſum fuit ea hîc adiicere. Priora verò quæ ſunt, illis nunc vtimur, & vſi fuerunt maiores noſtri. Altera, antiquiora videntur, ſed eadem ſunt, & inuenta non ita pridem in agro quodam noſtro, quibus aliquis ex noſtra familia ante aliquot centum annos, in Senatu patriæ (vt certò animaduertimus) ad confirmandum conſilium quoddam publicum, quod adhuc reſeruatur, vſus fuit. Nec intermittere hoc loco poſſum, quid de nobis Morauiæ ſcribat Hiſtoricus. Ille enim multis probare conatur rationibus, familiam Zaſtri-

ſellorum ex Galliis oriundam. Quicquid ſit, grata nobis eſſe debet iſta cum Gallis amicitia, inprimis D. Bezæ viri nobiliſsimi erga nos omnes beneuolentia ſingularis. Viuat igitur Beza cum ſuis omnibus, viuat iterum atque iterum, cui placidam optamus ſenectam, cui officia noſtra deferimus omnia. Scripſi ex arce Boſcovicenſi, Menſe Martio.

clↄ. Iↄ. xcvii.

AD GENEROSVM ET NObilissimum D. Vencesslaum M. de Zastrisell, elegantissima Th. Bezæ Poëmata publicantem.

O Te mirificis venerandum dotibus, ô te
Ter Zastriselli diuitem?
Nimirum sua non tantùm claustrísque serísque
Plebes recondit vilior:
Immò arcana potens Stagiræi scripta magistri
Orbi Philippus inuidet.
At tu, Noster opes tibi quas donauerat vni
Cunctis fruendas exhibes.
Sic sua quæ immeritis nimiùm nimiúmque modestus
Damnarat ignibus Maro,
Iam Varus, iam Tucca, bonis iam carmina iußit
Prostare Cæsar posteris.
Sic generosa suo diduci è palmite vitis
Lætas sinit propagines:
Sic gazas gremio Tellus fœcunda latentes
Cunctis fruendas exhibet:
Denique & Omnipotens sic munera lucis & auræ
Facit benignus publica.
Et propriâ sine labe suos Sol aureus ignes
Præbet fruendos omnibus.
Mirum igitur dictu! lauro non dispare dispar
Ambos venustat indoles,
Commendátq; pium pariter mens sobria BEZAM,
Münifica ZASTRISELLIVM.

IAC. LECTIVS.

AD EVNDEM.

NOn ſola vatum nobilior cohors
Laudes meretur, pollice quæ lyras
Dulci retractans digna Phœbo,
Digna canit Charitum choræis.

Parem reportat poſtuenientibus
Seclis honorem qui melioribus
Fauet camoenis, Palladíſque
Doctificas veneratur artes,

Frontéſque lauru Pieria colit
Semper virentes: nec carie ſinit
Squallente morderi, ſpecúve
Tartareo monumenta mergi,

Quæ docta finxit Theſpiadum manus,
Et laudat auſpex Cynthius. Hinc decus
Auxit ſuperbum qui ferocem
Rex Macedo Babylona vicit,

Atque ipſe Cæſar qui Pharias rates
Merſit profundis fluctibus Actij,
Thuſcúſque Mecœnas, & omni
Scipiades memorandus æuo.

Hi dona pluris Pegaſidum Indicis
Fecere gemmis. Nam capiunt citas
Obliuiones, ſi diſerto
Vate carent benefacta Regum,

Sed

Sed vecta cunctis temporibus manet
Virtus sonoro carminis alite,
Ridétque Saturni volucris
Inuidiam rabidósque dentes.

Hoc, Zastriselli, tramite prouidus
Mansura poscis præmia gloriæ
Quum bella te dulci gerentem
Pro patria laribúsque charis

Idem Thaliæ pellit amor bonos
Probare semper Phœbigenûm choros:
Et, Beza quos olim sonauit
Doctiloquus grauiore plectro

Vulgare versus, & Morauûm vrbibus
Monstrare alumnum Calliopes, sacra
Cui Delius lucens venustat
Fronde caput, faciléque Musæ.

Quem voce Gallus Nectarea modos
Fundentem amœnos suspicit, & potens
Anglus duellis, accolæque
Eridani, rigidúsque Teuto.

Et Belga fortis quem Polyhymnia
Miti renidens lumine conspicit.
Et longa cui per bella crescit
Dulcisonæ studium Camœnæ.

At, Beza quanuis ludicra nunc vocet,
Leuésque gerras carmina, arundine
Quæ puriori lusit olim,
Et rapidis, nimium seuerus,

Flammis cremari mandet (ad igneas
Quòd tendat arces, quæque decent pios
Mystas, & vrgentis senectæ
Damna leuant miseranda, Christum
Spirare toto pectore gestiat:)
Parere iußis talibus haud licet,
Nec luce fas vnquam labores
Perpetua violare dignos.
Quæ scripta quondam iusserat ignibus
Sæuis aduri grandiloquus Maro,
Seruauit Augustus, vetustæ
Fata vetans iterare Troiæ.

IO. IACOMOTVS BARRENSIS.

EPIGRAMMA GEORGII BVchanani iam olim ad Th. Bezam scriptum.

PRæsul optime, sacra Christiana
Qui castè colis & facis canísque,
Ad te carmina mitto, nec Latino,
Nec Graio sale tincta, sed Britannis
Nata in montibus, horrida sub arcto,
Nec cœlo neque seculo erudito.
Quæ si iudicio tuo probentur,
Vt claßis modò in vltimæ referri
Poßint centurias, nihil timebo
Censuram inuidiæ, nihil morabor
Senatus critici seueritatem,
Nihil grammaticas tribus: mihi vnus
Beza est curia, censor, & Quirites.

THEODORI BEZAE

SYLVÆ.

DEVOTIO P. DECII PATRIS.

ex T. Liuij historiarum libro octauo.

Sylua I.

IAM Romana acies verti, iam cedere læuo
Cœperat in cornu virtus Romana, nec vllum
Subsidium est: patriæ Decius quum totus amore
Feruidus, & trepidos manibus vultúque moratus,
Quò ruitis? (dixit) quò virtus prisca recessit?
Vnde fuga hæc? vnde iste timor? vos cedere notis
Hostibus, & toties victis dare terga Latinis?
At moueat iurata fides, sanctíque Senatus
Imperium: moueántque foci, moueántque penates.
Dixerat. interea victor fugientibus hostis
Imminet, & trepidi nutant hinc inde Quirites.
Ille autem intrepidus, Quos consul sistere voce
Non potui, (dixit) reuocabo morte. sacrati
Me dudum hoc vates monuere, iecúrque recisum.
Ergo age sacrorum ô custos, concepta profare

Carmina: Romanis consul sit victima: nostro
Sanguine quæratur victoria, sanguine nostro
Placentur sæui manes, placetur Erinnys.
Mox igitur prætextam armis imponere iussus,
Velatúsque caput, mentóque innixus, & imis
Subiecto pedibus telo fortißimus heros
His se deuouit verbis, præsante ministro:
Iane, & tu custos Capitoli Iuppiter, audi,
Et gemini Romæ auctores, Mauórsque Quirinéque,
Et reliqua in nostris notißima numina fastis:
Vos etiam ô manes Decium hæc audite precantem:
Si qua premit patriam Nemesis, nunc vincere Romã
Crimina si qua vetant, Decius luat omnia solus.
Seruetur patria incolumis, pulsóque Latino,
Sublimes ducant Romani ex hoste triumphos.
Interea, collega, aciem patriámque tuere:
Ominor ecce fugam moriens mortémque Latinis.
Desierat: faciem lux protinus occupat ingens.
Qualis post noctis tenebras fulgore corusco
Emicat, & totum illustrat Sol aureus orbem:
Talis equo insiliens Decius sublimis habenas
Laxat, & in medios volat imperterritus hostes.
Illum fulgentémque armis cinctúque Gabino
Ipse admiratur Veseris, miratur & ipse
Iuppiter, & læuum tonat. audito omine læti
Prospiciunt Romani omnes, oculísque sequuntur,
Consulis attoniti facto. Iam terga Latinus
Vertit, & aduentu vnius mutata repentè
Sors

Sors omnis: redeunt acies, animísque receptis
Instat victori victus, tandémque feroces
Romanus pellit, Decio moriente, Latinos.
At si homines docuit patriæ postponere vitam
Vana superstitio, quantò nos iustius omnes,
Vere Deus, tibi nos & nostra sacrabimus vni.

MORS CICERONIS. EX T. Liuij historiarum libro CXX.

Sylua II.

ERgo vt ventorum rabiem pelagíque furorem
Tullius indomitum aspexit, Conuertite vela,
(Dixit) & huic tandem moriturum reddite ripæ.
Scilicet has grates gladiis erepta tuorum
Patria persolues? Nec plura effatus, ab imo
Corde trahens gemitus memoratæ ad nomina Romæ,
Imbre oculos lacrymísque genas impleuit obortis.
Ac licèt aßiduis exercita turba periclis,
Inuiti lacrymas nautæ tenuêre, diúque
Obnixi frustra sæuos transcendere fluctus,
Inuiti iratis laxarunt carbasa ventis,
Et tandem incolumem statuerunt littore proram.
Descendit mœstus Cicero, multóque labore
Membra trahit cõfecta senex, simul vndique magna
Circunstabat herum seruorum turba, periclis
Nec nimium stupefacta suis, nec tempore duro
Pollicitam fractura fidem. Pars apparat enses,

Pars domino adsistit, cæcáque ambage viarum
Lecticæ impositum ducunt, si fallere sæuos
Carnificum poßint gladios. Sic Tullius ibat,
Tullius ille togæ princeps, magníque Senatus:
Quum procul aduentare viros, inimicáque signa
Conspicit, & stricto mortem procul ense minantem
Poppilium, cuius quondam seruauerat ipse
Fortunas vitámque rei, quum libera Roma
Olim illum audiret miraretúrque tonantem.
Iam quoque sæuus adest poscítque Herennius hostem.
Quid faciat? num fortè manus protendat inermes,
Aut mercede petat veniam? num flectere verbis
Defensi quondam conetur militis iras?
Hoc virtus ætásque vetant, & pectore in alto
Fixus amor patriæ: Romæque cadentis imago:
Vertite (ait) currus, plenis curratur habenis
Immeritam in mortem. Bruti Caßíque beatæ
Viuite vos animæ: quòd si non omnia nobis
Fata nocent, forsan neque nos moriemur inulti.
Iam vixi mihi Roma satis, me vita vereri
Acta vetat nigræ damnosa obliuia mortis.
Occide: at noscent venturi cuncta nepotes,
Æternámque dabunt morienti hæc funera vitam.
Immò (aut fallor ego, & frustra tibi Roma creatus
Augur eram quondam) non semper amica fauebit,
Antoni, fortuna tibi: ciuésque peremptos
Tempus erit victrix à te quo Roma reposcat.
Me iuuet interea meliores quærere sedes.

Desierat

Desierat: iugulúmque parans, immota tenebat,
Ora senex. Illum properantem in fata nec ipsi
Aspiciunt equites læti: positóque furore,
Vt glabrum vidêre caput canámque senectam,
Vix tandem inuiti lacrymas tenuêre cadentes,
Ipsíque è manibus gladij cecidêre cruentis.
Vnus torua ferox torquens Herennius ora,
Degeneres quid statis? ait. simul ense superbo
Colla secat, nec adhuc satiatum cæde, scelestum
Adiunxisse iuuat sceleri scelus. Ergo disertis
Ausas Antoni vitam signare tabellis
Cædit & ipse manus. Morientem vidit ab alto
Inuitus cœlo Phœbus: piceáque refertur
Nube caput texisse diu. fleuêre cadentem
Et flebunt Latiæ æternùm Graiæque camœnæ.
Flexanimis verò Pitho (mirabile dictu)
Suetæ illi quondam, tum res, tum verba loquenti
Suggerere, & suaui conspergere nectare linguam,
Vt patuit iugulus, moriente aufugit amico,
Et terras, eheu, nunquam reditura, reliquit.
Poppilius volat interea, truncóque relicto,
Antoni portat sæuis spectacula mensis.

NATALIA DOMINI.
Sylua III.

PEruigiles alius longa in conuiuia noctes,
Gaudia consumptas aut in furtiua tenebras,

Infami celebret captans ex carmine nomen:
At tu sancta meis potius sacrata camœnis
Materies, ô nox, esto, qua virginis olim
Clausa licèt sacro patuerunt viscera partu,
Viscera quæ cœli tempestatúmque potentem
Gestauere Deum, tandémque illæsa dedêre
Humanis cernendum oculis: tu conscia partus
Vna noui, tu nascentis primordia Lucis
Luce prior nox vidisti, dignissima Lucis
Nomine non Noctis, quæ cæca & nigra vocatur,
Illius primos Solis quæ senserit ortus,
Ipse accepta refert clarus cui lumina Titan,
Et quæcunque micant splendenti sydera cœlo:
Tu teneri primos vagitus prima puelli,
Tu primos cœli plausus, tu gaudia mundi
Audisti, nox ô felix, quum læta volantum
Ad Domini cunas resonarent agmina fratrum,
Et Domino totus nascenti applauderet orbis.
Tu vili impositum fœno, stabulóque jacentem
Es mirata simul, simul es miserata puellum.
Tu quoque pastorum pietatem, & nescia fraudis
Pectora mirata es, quum Tityrus inde relictis
Accurrens gregibus, CHRISTI natalia lætus
Viseret: hinc caderet Damœtas, surgeret Aegon:
Dum cœli monitis & claro numinis ore
Attoniti puerum properant inuisere regem.
Quid castæ matris curas, immixtáque curis
Gaudia commemorem? dum tanto pignore, cœli

Consortem

Consortem agnoscit sese, natúmque tuetur
In gremio, nasci quem vix dum senserat ipsa,
Parturiens, pariénsque simul, virgóque, parénsque.
At vos interea spatiosa per atria reges,
Aut medios inter lusus, turpésque luparum
Fortè greges miseri infelix traducitis æuum,
Aut saturo efflatis pigros è pectore somnos,
Gens inuisa Deo, magni quam rector olympi
Et quondam spreuit nascens, & natus abhorret.
Felices tenebræ, quantumuis clara diei
Lux collata quibus, non lux, sed opaca videtur
Nox potiús. Nam certa diem sua tempora claudunt,
Et vicibus certis Phœbus surgítque cadítque.
Est quoque quum ingratæ vicinus ab orbe sororis
Sic premitur, nigra vt tectus ferrugine vultum,
Quod reliquis præbet luménque iubárque requirat.
At vobis, tenebræ, qui præbet lumina Titan,
Phosphorus ipse sibi est, & non finitus horizon.
Sed cur postremo patres te mense locarunt,
O nox, quam nostræ testem appellare salutis
Et decet, & fas est? cur non hæc inchoat annum
Nox, quæ felicis spem nobis reddidit æui?
Scilicet exactos quæ nox finire labores
Spondet, & æternæ promittit munera pacis,
Iure etiam exactum nobis hæc terminat annum.
Adde quòd hoc primùm redituri tempore Phœbi
Spem capimus, ductore capro. Iure ergo reuectos
Vno mense duos olim memorare vetustas

Instituit soles: iure ô nox fausta, piorum
Relligione patrum, toto vigilaris in orbe,
Applausúque sonas: sed non quatere orgia qualem
Consuerant madido fierent quum sacra Lyæo,
Sed qualem decet esse virûm, queis pectore in alto
Mens habitat, cœli patrium quæ spirat amorem.
Ipse equidem tibi sacra feram, nox sacra, quotannis,
Solennésque preces addam, ô nox optima nostris
Materies nimium felix inuenta camœnis.

PRÆFATIO POETICA IN Psalmum Dauidis LI.

Sylua IV.

FOrtè pererratis cœlo, terráque, maríque,
Ales Amor, (dæmon quo non est certior vllus
Mortales pulchri falsa sub imagine mentes
Fallere, lethalíque animos afflare veneno)
Inuisæ sacras Iudææ callidus vrbes
Venerat: & iam tum magno molimine regem
Fundantem intuitus Solymas feliciter arces,
Progeniémque memor Iessæo ex sanguine duci,
Venturam Satanæ excidio, Satanæque ministris,
Méne, (ait) à prima qui victor origine mundi
His homines domui telis, horrendáque seclo
Diluuia inuexi (laus est hæc nostra) priori:
Cui Ninon, ingentémque incesta Semiramis vrbem
Sacrauit, nostras testantia mœnia vires:

Cui

Cui Sodome versa in cineres, ambustáque longè
In tenues abiit regio vicina fauillas:
Quo duce mille furens armauit Græcia naues,
Et nunc Troia nouem iacet oppugnata per annos:
Qui prius indomitũ (quid nõ mihi fœmina præstat?)
Sampsonem insano fregi meretricis amore:
Ießiadæ vnius non posse abrumpere cœpta,
Diuinísque procul curis auertere mentem?
Dixerat iratus, pharetráque accinctus & arcu
Tandem ad Bersabes conuertit lumina vultus:
Bersabes, qua non formosior altera cunctas
Isacidûm populis inter numerata puellas,
Sed coniuncta viro, & mater iam digna videri.
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, iuuat hinc (inquit) vibrare sagittas.
Este procul tela & pharetræ. nanque ista ministrant
Lumina tela mihi. hinc regum Mauortia corda,
Fallor ego, aut infans olim vicisse Cupido
Credar, & hæc varias spargetur fama per vrbes.
Sic ait: & subitò pharetráque arcúque relictis,
Aëreum indutus corpus (mirabile dictu)
Callidus affectans formosam hinc inde puellam,
Obseruat tacitus furtim: tandémque repertis
Sese oculis infert, claróque in lumine condit.
Hanc igitur casu, vitreo tum fonte lauantem,
Nescio quid meditans sublimi Dauid ab arce
Conspexit, vir nec cuiquam pietate secundus,
Nec quoquam inferior vates, seu fundere dulce

Ore melos, digitis ſeu tangere plectra iuuaret.
Quid non audet Amor? regis doctíque piíque
Protinus excuſſo violauit lumina telo:
At pauidus tanto caligat lumine Dauid.
Ecce irrumpit Amor dominus, ſparsíſque veneno
Senſibus, humenti mox calfacit oſſa calore,
Atque imo tandem infligit ſub pectore vulnus:
Mens quoque victa labat, flammíſq; oppreſſa fatiſcit.
Ipſe ſui oblitus cæcas ſub pectore flammas
Dauid alit, nec iam ſtudiis incumbit honeſtis,
Nec ſibi iam quærit ſeſe quibus artibus ipſe
Aſſerat: hoc vnum noctúque diúque labore
Sollicitus voluit magno, qua callidus arte
Efficiat forma vt tandem potiatur amata.
Quid faciat? blandis adiungit munera dictis.
Paret Berſabe: tumido ſic addita ventri
Sarcina. ſed nondum Dauid ſua gaudia credit
Plena ſatis: res ipſa placet, criménque probatur:
At metuit famam, dicíque recuſat adulter.
Adde onus ignaro conceptum coniuge: quippe
Fortè aberat longè Vrias, & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus, populíque ſalute
Tractabat gladios miles. reuocatur in vrbem
Principis imperio: paret, caſtríſque relictis
Iuſſus adeſt. Illum nec formoſiſſima coniux,
Nec nati traxere domum, ſed principis aulam
Ingreditur properans. ſimulato plurima vultu
Inquirit Dauid, quam tandem exercitus vrbem
Obſideat,

Obsideat, quibus inclusus sit mœnibus hostis,
Euentu quonam pugnatum. singula pandit
Ille, nec infelix nouit quàm dira parentur.
Quippe, licèt mensa exceptum, vinóque madentem,
Coniugis vt spreuisse thoros, auláque manere
Aßiduum vidit Dauid, iam censet apertum
Omne nefas, iam facta palàm sua crimina credit.
Vis igitur, sed tecta, placet: capitíque parantur
Coniugis insidiæ. quid non audetis amantes?
Iam nil iura valent, nil magni iussa Tonantis,
Expertúsque Deus toties. iam victus amore
Ipse odit sese. O semper nocitura voluptas,
Vt transuersa rapis mortalia pectora tecum!
Nox erat, & latè carpebant omnia somnos:
At vigil insano fraudes in pectore Dauid
Mille parat: calamum tandem póscítque tabellas,
Et se de patriæ rebus dum scribere multa
Versutus simulat, versa in contraria mente,
Imperat vt pugnæ statuatur in ordine primus
Vrias, primúsque ruat moriturus in hostes.
Ergo vt prima dedit venientis signa diei
Lucifer, Vriam mox in sua castra reuerti
Rex iubet, inscriptásque duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec se sua fata tenere
Clausa manu nouit: tandémque in fronte locatus,
Immeritam infelix petiit per vulnera mortem.
Hæc Pater omnipotens ex alto singula cœlo
Cernebat, iam tum iratus, quum cedere fœdi

Imperio insanum regem spectaret Amoris.
Vt verò insontem cecidisse agnouit amicum,
Et fuso hostiles gladios tinxisse cruore,
Tum demum infremuit totus, vultúmque serenum
Iratus posuit: tremuerunt omnia latè,
Terribilíque procul sonuerunt astra fragore.
Protinus exorto compleri murmure cælum
Turbato cœpit Domino: veniúntque frequentes
Aligeri fratres, quæ tanti causa tumultus
Inter se rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet: num totas fulmine terras
Perdere fortè paret, num cæli extrudere ciues,
Aut priscum reuocare chaos. quippe affore tempus
Audierant, ipsos olim quo verteret orbes
Cælorum, & totum flammis misceret olympum.
Cælorum in medio, quà se super omnia tollit
Sublimis moles mundum complexa rotundum,
Stat thronus & gemmis totus conflatus & auro:
Hîc superûm residet Princeps, hinc singula cernens
Temperat æterno compon ítque omnia nutu.
Hunc geminæ circum dicuntur stare sorores,
Iustitia, & placido lenis Clementia vultu.
Altera districto cunctis velut ense minatur,
Turbatísque oculis testatur pectoris iras:
Altera blanditúrque oculis, similísque precanti
Vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur postquam conuenêre vndique diui,
Tum Pater iratus, Quænam hæc dementia? quænam

Improbitas, (inquit) nostrum contemnere numen
Mortales audere viros, & pectore ferri
Indomito auctorem contra? quid plurima fando
Commemorem? terræque datas totîus habenas,
Et maris imperium, liquidóque volantia cœlo?
Mentem ego diuinam tribui, quæ libera mortem
Despiceret, quæ me quæ cœli edisceret orbes.
Hoc cunctis commune bonum. quid propria natis
Commoda nunc referam toties concessa Iacobi?
Vos meministis enim regis contusa superbi
Pectora, vos medio gradientes æquore turmas,
Deletásque acies scitis, partósque triumphos.
Scitis vt in terras summo descendere cœlo
Sustinui, vt leges illis & iura tuendæ
Sancirem vitæ: nostri quoque testis amoris
Sol erit, assueto vetitus descendere cursu:
Et scissæ Iordanis aquæ, sonitúque tubarum
Captæ vrbes, pulsíque sua ditione tyranni.
Hæc illis igitur tribui: quid maxima verò
Tot bona commemorem Iessæo præstita vati?
Illi ego pastori memini tribuisse coronam,
Ereptóque pedo sceptrum donasse ferendum:
Quinetiam vasto memini eripuisse giganti:
Quúmque graues vrgere minas odiúmque Saülis
Sensissem, tutum ipse dedi (miseratus egentis)
Exilium, & placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus auorum,
Oblitúsque mei, nec cœli spernere leges,

Nec scelus infandum sceleri iunxisse veretur.
Hinc leges, hinc iura iacent violata sacrati
Coniugij, hinc noster non digna morte peremptus
Vindictam petit Vrias. nunc ergo superbum
Vlciscar regis pectus, populúmque ferocem
Delebo iratus, nostri monimenta doloris.
Desierat, toto exoritur quum murmur olympo:
Protinus at mœsto assurgens Clementia vultu,
Conqueritur lacrymans. nec enim, si plectere dignis
Suppliciis homines placeat, iam fulmina posse
Sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara: desertum fore mox sine ciuibus orbem.
Frustra igitur toties miseris mortalibus olim
Est promissa salus? nec crescere virga sinetur
Expectata piis? sua sunt stata tempora pœnæ,
Integra quum mundi peritura est machina flammis.
Ne, Genitor, ne te crudelem nomine dici
Quæso sinas: tua nota satis sunt numina mundo.
At si pœna placet, si res tam sæua probatur,
Hoc vnum rogito supplex, hoc pectore toto
Flagito, fas vt sit sceleris monuisse peracti
Dauidem: feret ille preces, tandémque furore
Deposito, scelus hoc illi noxámque remittes.
Vix bene desierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, quum deposita Pater optimus ira,
Conceptum penitus dilabi corde calorem
Sensit, & hæc tandem sedato pectore fatur:
At miseros seruare iuuat. Sic fatus, abire

Aligerûm

Aligerûm mandat ſelectum ex ordine fratrum
Cæſarie inſigni iuuenem, cui candida circum
Ludebat ſtola longa pedes, variæque micabant
Diſtinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ:
Ceu tricolor nubes inter nitet Iris aquoſas.
Hunc igitur properè Solymorum inuiſere terras
Imperat Omnipotens, vatíque aperire Nathani
Et ſcelera & ſcelerum auctorem: quem ſedulus ipſe
Arguat, & meritum oſtentans pro talibus auſis
Supplicium, culpam cogat criménque fateri.
Nec mora: iuſſus adeſt, primóque à limine regem
Compellat vates, Salue rex, (inquit) & audi
Quid ſceleris media patratum euenerit vrbe.
Ecce, fuit pecoris quidam ditiſsimus vnus,
Et pecoris quidam contrà pauperrimus vnus:
Illi mille greges, ouis huic tantùm vnica, verùm
Chara fuit, primis paruam quam eduxerat annis,
Ipſo etiam gremio, & lecto dignatus eodem.
Ille aduentantem caſu excepturus amicum,
(Proh facinus) bubúſque ſuis, ouibúſque pepercit:
At miſeram arripiens vicini pauperis, eheu,
O rex, mactauit ſæuus coxítque bidentem.
Dauid ad hæc animo grauiter cõmotus, At (inquit)
Sic faueat dextrum mihi numen, vt iſte cruentas
Dignus qui proprio pendat vel ſanguine pœnas,
Pauperis octuplici penſabit fœnore damnum.
Hæc ille. intuitus ſæuo quem lumine vates.
Ergo (ait) infelix, audi, quid numinis ira

Nuntiet, ô regum rex indignißime, téne
Tam ſubitò oblitum quanto te euexit honore
Cunctipotens, inopem, mediíſque ab ouilibus olim
Acceptum, & ſæui toties totiéſque leonis
Faucibus ereptum, ſolij quum ſede locaret,
Sacrarétque iſto tantum diademate regem?
Ten' miſerum tali pollutum cæde, quietem
Ducere, quem ad pœnã poſcant pro immanibus auſis
Crimina? ſic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter? geminóne nocentem
Crimine, cœlorum fas eſt conuexa tueri?
Qui ſuperos, qui te, patriámque, tuóſque, ſceleſtus
Prodideris? at tempus erit quum cæde tuorum
Ipſe oculos paſces, bellíque domeſtica ſurgent
Semina, & inceſtus, & fratrum vulnera cernes:
Tú modò flecte Deum lacrymis. Sic ille tonare
Vix bene deſierat, quum toto expalluit ore
Dauid, & attonitus. vix tandem voce recepta,
Peccaui infelix; inquit. Nec plura loquutus
Protinus è ſolio miſer exilit, & ſua pugnis
Pectora cũ gemitu plãgens, ſceptrúmque, coronámque
Abiicit, & partes animum conuertit in omnes.
Ergo miſer nunc inuiſos accuſat amores,
Nunc iuſſæ meminit cædis, criménque fatetur
Conſcius, & caſum inſontis deplorat amici.
Multa eſt ante oculos Berſabe, at nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre Cupido,
Et pauor in vacuo ſolus iam pectore regnat.

Quid faceret? flentem ipse licet veniámque precãtem
Mutata subitò soletur voce Nathãnes,
Pacatam his lacrymis affirmans numinis iram,
Semianimis pergit lacrymans, & , vate relicto,
Spémque metúmque inter, lucem vitámque perosus,
Nil præter latebras captat. Palatia ponè
Antrum erat horrendum, fracti quâ culmina montis
Exesas vasta claudebant mole cauernas:
Horrebántque rubis latè omnia, & vndique sentes
Dumíque tribulíque, & Soli inuisa vorago.
Hûc igitur multo turgentia lumina fletu
Aduertens mœstus sublimi Dauid ab arce,
Vespere iam seras noctis properante tenebras,
At tu, tu nostri domus (inquit) conscia luctus,
Tu mihi testis eris iustorum nempe dolorum.
Sic faueas nostro rubicunda ex crimine luna:
(Fortè erat aut visa est Phœbe rubicundior) at vos
Sydera, quæ inuisos toties vidistis amores,
Mutatum spectate virum. Sic fatus, eburnam
Suspendit zona citharam, qua suetus ad omnes
Mentis erat curas vti, quà sæpe sonante
Depulerat sæuos inimico à rege furores.
Ergo abit, & pullo circumuelatus amictu,
Speluncam ingreditur tacitus, largóque madentes
Imbre oculos cœlo attollit: tandémque recepta
Mente, miser tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœstas cithara resonante querelas.

GEORGIVS BVCHANANVS
Scotus, Sylua V.

AVdieram Gottos, & quos Septentrio quondam
Barbarus immanes, vltricem in numinis iram,
Effudit populos, sceleratæ mœnia Romæ,
Et quæcunque prius spoliato ex orbe sacrarant
Imperij fastúsque sui monimenta Quirites,
Partim æquasse solo, partim iniecisse voraci
Consumenda rogo: vt quæ olim fastigia cœlis
Intulerat, septem attollens in nubila montes,
Nunc prostrata suis celebretur Roma ruinis.
At non ingenium solers, linguámque disertam,
Æternis quibus illa opibus tot secula felix
Roma olim cunctas inter caput extulit vrbes,
Hæc, inquam, reliquis longè anteferenda trophæis,
Non equidem audieram Gottósve aliásve feroces,
Quas procul Oceanus gentes glacialis inundat,
Noscere, mirari nedum potuisse: rapaces
Barbarus vt prædæ istius dulcedine captus
Iniiceret Musis vngues, quas deinde rigenti
Captiuas sic diligeret, coleretque sub Arcto,
Vt medias inter glacies, Boreæque sonori
Pectora nata gelu, Musarum ardore calerent:
Attamen hoc factum si quis dubitauerit, idem
Vel medio lucere die Titana negarit,
Vel te virtutésque tuas ignorat ineptus,

Aonidum immortale decus, Buchanane, ſororum.
Namque tibi extremæ propè nato ad littora Thules,
Os tenerum Aonides ſic formauere puellæ,
Sic Graio pariter melle illiuêre labella,
Pectora Romano ſic impleuere ſonore,
Vt te Roma, licèt Scottorum ad littora natum,
Æquoreas inter cautes, atque horrida Cete,
Tanquam vrbe in media ciuem ſibi vindicet ortum:
Inde autem magni te Mantua clara Maronis
Iuret ſtirpe ſatum, at contra Verona, Catulli:
Aſſerat hinc Venuſinus, & hinc Pelignus: & inde
Corduba te repetat, repetat quoque Bilbilis inde.
Hunc igitur vatem Buchananum Scottia iactes
Vna tuum, felix tantis natalibus vna.
Macte quoque ingenij tanta virtute, Georgi,
Æternùm & Latij ſpoliis ornatus opimis,
Inuidiáque omni maior, Buchanane, triumpha.

IN STRABONIS GEOGRAphicos libros ab Iſaaco Caſaubono feliciſſimè & eruditiſsimè emendatos Th. Bezæ Carmen

Sylua VI.

TEr ſenos agerem vitæ quum feruidus annos,
Viſendíque orbis pulchro ſuccenſus amore:
Hoc duce fretus ego, quo nullus certius vno
Monſtrauit mundo viſendum quidquid in omni,

Et maria & terras, Hiſpanis orſus ab oris,
Impiger inſpexi, gelidam quâ ſe vſque ſub Arcton,
Porrigit Europa, & Tanais ſe littore claudens,
Inde petit variis ſinuoſum anfractibus Auſtrum,
Limitis Eoi quâ ſeruat barbarus oras
Sauromata, inde truces Thraces, Macedóq; ſuperbus,
Et qua Cycladibus colliſum funditur æquor
Ægeum; Euripíque diu latrantibus vndis
Infractum, doctas verſus deflectit Athenas:
Et bimaris tandem elapſum de faucibus Iſthmi,
Hinc Maleam, hinc contra Minoïa littora pulſat,
Ionio exceptum, quo tota infráque ſupráque
Itala terrarum domitrix prætexitur ora:
Gallica perpetuo dum radens littora curſu,
Heſperiáſque legens Eoi limitis vrbes,
Herculeis quà porta patet ſuffulta columnis,
Oceani noſtrum pelagus ſe mergit in vndas.
Quid plura? Europæ ſuperato limine, latos
Sarmatiæ alterius campos, duce fretus eodem,
Ingredior, Scythicúmque gelu: nec me Imaus ingẽs,
Non Colchis, Chalybéſque feri, non ferrea clauſtra,
Non illæ infames æterno frigore cautes
Caucaſeæ, Hircanæ aut tigres potuêre morari
Extremos hominum properantem viſere Sinas,
Et ſua ab arboribus pectentes vellera Seres:
India dein, medio findit quam gurgite Ganges,
Gedroſíſque ingens diſterminat Indus ab oris,
Perluſtrata mihi; Brachmanum & turma ſophorũ.

Quid gẽtes memorẽ innumeras? quid flumina? mõtes?
Oppida? perpetuo spectat quæ vertice Taurus,
Ille Asiæ Taurus latè dominator vtraque,
Horrescunt Latiæ quorum fera nomina Musæ?
Persida quinetiam & Babylonis vidimus arces,
Penè vnis vrbem complexam mœnibus orbem,
Et volucrem Tigrin, contento qualis ab arcu
Missa sagitta volat, curuatæ cortice cymbæ,
Traieci: nec me innumeris sinuosus aquarum
Euphrates gyris tenuit remoratus euntem
Cappadocum in campos, vbi diues Apollinis astu
Crœsus Halyn superans, regno est spoliatus auito.
Hinc Galatas nostros spectaui, & inhospita Ponti
Littora lustraui trepidans, equitésque Bithynos,
Persarúmque diu rubuit qui strage cruentus
Granicon, & Xerxi quondam æquora strata superbo,
Et campos vbi Troia fuit, Xantíque fluenta,
Exigua illa quidem, magno sed maxima vati:
Hellas vbi est Asiæ lento collisa duello.
Ionicum hinc littus, magnæ & delubra Dianæ
Inspexi, famæ cupido succensa latroni.
Aeolis hinc spectata mihi, & quas Hermus arenas
Aurifer, & Lesbi voluit Pactolus in æquor:
Quíque recuruatis ludit Mæander in vndis,
Venalésque Cares animæ: & post Doridos isthmum,
Clara Rhodos, Lyciæ & quidquid complectitur ora.
Pamphylij deinceps montes, Cilicúmque beatæ
Messes, & latrociniis infamis Isaurus.

Inde mihi portas rigidus patefecit Amanus.
Venimus hinc Issum Persarum strage madentem:
Inde cauas Syriæ valles, campósque beatos,
Et gemini cedros Libani, priscámque Damascum,
Et, Cypro oppositum qui fertur in æquor Orontem,
Sidona hinc, versámque Tyri deuenimus oram,
Et claras Iordanis aquas, infamia donec
Stagna petens fœdo totum se sulphure condat.
Balsama quin etiam miris Ierichuntis in hortis
Vidimus, & sanctas Solymorum ascendimus arces,
Templa meo malè nota duci: & saxosus Idumes
Quidquid ager nutrit, Nabathæáq; pascua quidquid.
Æquoris inde sinus geminos peruenimus inter,
Cinnamáque & Panchæa metunt vbi thura Sabæi.
Et fuit iste viæ longæ mihi terminus alter.
Perrexi fortis tamen, &, duce fretus eodem,
Isthmum transgressus, bifidum qui diuidit orbem,
Oceanúmque mari à nostro discrimine paruo
Dissociat, Pelusiacas superare paludes
Ausus ego, & septem exundantis flumina Nili.
Hîc & Alexandri celebrata ex nomine Magni
Mœnia, & ad portum Pharias spectauimus arces.
Miratíque diu spectacula barbara Memphis,
Pyramidas, quantum tostas Libyæ inter arenas
Nilus abit, tantum aduerso nos flumine nixi.
Mœnia Thebarum centum circumdata portis
Vidimus & Meroes vrbes, vmbrásque Syenen
Solstitij penitus iacientem tempore nullas.

Æthiopas

Aethiopas hinc occiduos, Libyámque perustam
Emensi, sursum media inter monstra ferarum,
Littora Marmaricæ, Psyllos, Battíque Cyrenen,
Inde Afros, Numidásque vagos, Mauróśque feroces
Visimus, Herculeis donec celebrata columnis
Fessos excepit, quæ nos emiserat, ora,
Imponens finémque viæ, metámque labori.
At verò anfractus cæcos, salebrásque viarum,
Peruia quæ fuerant, nunc sentibus obsita densis,
Ambages varias, limum, turpésque lacunas
Quis fando enumeret? quoties dux optimus ipse,
Trita sibi non iam agnoscens vestigia, mecum
Substitit? incertíque viæ consedimus ambo?
Deerat enim nobis dux hic Casaubonus alter,
Ille duci quem fata meo iussere benigna
Esse ducem, dumísque vias purgare reuulsis,
Limosásque situ longo detergere fossas,
Et quibus obstructi fuerant hinc indéque calles,
Ingesta solerter humo complere lacunas.
Quòd nisi me hæc aliò reuocaret serior ætas,
Non equidem addubitem, tanto duce fretus vtroque,
Rursus inire vias, totúmque reuisere mundum.
At vos, ô iuuenes, felici sydere nati,
Incoctum quibus est generoso pectus honesto,
Carpite iter tutum fortes, expérsque pericli:
Ignorat quod quisquis iter, versatur auorum
Cæcus in historia, & ceu lumine cassus oberrat.
Discite sed memores semper, quum numinis omne

Hoc

Hoc sit opus, vero vos, & vestra omnia soli
Consecrare Deo: neque sic terrena morari,
Quin cœlos animum semper tollatis in altos.

IN DOCTISSIMI VIRI, D. Henrici Molleri in Esaiam Commentarios.

Sylua VII.

DIuino plenus cecinit quæ numine vates,
Quattuor Esaias præconem regibus olim
Quem statuit Rex armipotens: cui plurima vati
Debemus nostræ patefacta arcana salutis,
En tibi nunc prodit, Mollero interprete, lector,
Dimidius nondum, quem totum forsitan olim,
(Fauerit inceptis si tantis numen amicum)
Cernemus simul, atque simul mirabimur omnes.
Ergo noui (dices) quídnam nouus afferet iste
Interpres? nil nempe noui, vetera omnia sacris
Quæ deprompta cadis sincero vina palato
Sola placent, mentémque leuant quæ sola iacentem:
Cauponum miris quæ corrupta artibus; ista
Quum melior, miserante Deo, iam cœperit ætas
Expurgare, suo tandem reddenda nitori:
En multos inter, quorum tam multa fideli
Hoc nobis in opus sunt desudata labore,
Nunc Mollerus adest, reliquos ætate sequutus,
Ingenio haud impar (quod & ipse fatebere) multis:
Iudicio & docta nulli pietate secundus.

IOANNI

IOANNI TAGAVTIO ἀντίδωρον pro Philomelæ poemate.

Sylua VIII.

SAEpe quidem noctis tacitas audita per vmbras,
Vere nouo, Bezam miro philomela canore,
Tot gracili tenuit mirantem in gutture voces:
Sed tenuit solo Bezam philomela canore.
Quum breue nunc longo, graue nunc misceret acuto,
Nunc fuscum claro, plenis exilia nectens,
Nunc mirè inflexas profundens gutture voces,
Productis longùm nunc complens tractibus auras.
At tu Musarum dulcißima cura, Tagauti,
Parnaßi doctus diuinum carmen in hortis,
Et totum Aonio prolutus nectare pectus,
Sic verbis numeros, numeris sic verba rependis,
Vt pariter mentem mulcens lectoris, & aures,
Ancipitem miretur vtrum mage sæpe relinquas:
Et quantò volucres superat philomela canoras:
Hæc tantò cantata tibi philomela canoros
Æternùm vates mansuro carmine vincat.
Viue igitur noua, viue noui philomela poetæ:
Sic tibi Pierides faueant, & doctus Apollo,
Applaudénsque tibi vatum genus omne canorum,
Concedat palmam noctésque diésque canenti.

IOANNIS TAGAVTII PARIsiensis, Lausannæ Mathematicas disciplinas profitentis, & immatura morte Geneuæ sublati, poema: quod Philomela inscripsit, Bezæ suo dicatum.

QVid dignum te, Beza, canã, mihi quãdo sonoris
Sponte sua numeris nunc verba poetica surgunt?
Nunc quando virides nos afflauêre Thaliæ,
Vltro vere nouo, dum floribus omnia vernis
Arrident, faciémque nouam nemus induit omne,
Pratáque, ripæque, atque sisymbriferæ conualles:
Omnia dum pubent, & dum noua temporis ætas
Ad noua vel mutas inuitat carmina rupes,
Nil à me, Theodore, feres? tacitúmne relinquam
Te dulcésque tuas, dulcis Theodore, camœnas?
Nil tibi, Beza, canam? quum formosissimus annus
Dulcia iam faciles reuocarit ad otia musas?
Queis nunc & virides pubent vmbracula dumi,
Et viridis dumeta lupus qui garrula circum
Voluitur, & densam texit cantantibus vmbram,
Vicinos frutices, aut ramos arboris altæ
Prensans capreolis, manibúsque tenacibus instat
Luxurians, seséque intra supráque propagat.
Aspicis vt gelida viridíque per omnia nube
Serpat, & vmbrosum foliis nigrantibus arcum
Contexant implexa lupo vibur nasequaci?

Ergo

Ergo ego nunc referã ſyluas, hederámque virentẽ,
Graminéque & corylis muſcoſi fornicis vmbram,
Sicubi ſaxa madent ſtillantibus humida guttis,
Sicubi rorantes nigra inter marmora tophi
Illacrymant gelido frondoſæ rupis in antro?
Vatibus ô gratas ſedes! referámne per vmbras
Denſarum ſalicum liquido pede lene ſonantis
Murmur aquæ, & vitreo crepitantes fonte lapillos,
Dum noua purpureos interuiret herba colores,
Plurimáque in florem vulgò ſeſe induit arbos?
An memorem quàm multa ſonant virgulta canoris
Vocibus? vt nunquam plures rear eſſe nec vllos
Concentu meliore modos, quos vere reducto
Plurima garrit auis per opaca ſilentia Iuræ:
Plurimáque in primis ſub opaca frondibus vmbra
Luget, & infelix lacrymabile cantat Aëdon,
Argutas inter miratu digna volucres.
Eia tu curis grauibus rerúmque capaci
Parce animo, dum noſtra leges, triſtéſque ſuſurros,
Sibiláque, & dulces Philomelæ, Beza, querelas,
Et carmen varium atque indefeſſos modulatus.
Nam ſeu manè rubens tenui vix murice primùm,
Atque croco primos vixdum interpinxerit ortus,
Seu nox abſtulerit rebus iam plena colorem:
Vicinas querulo ſyluas clamore fatigat
Noctes atque dies, arbuſtáque ſingula cantu
Aſſiduo rumpit. tam paruo in corpore tanta
Vox ſonat, & grandi queritur tua crimina luctu

Barbare Thrax, licet hæc veterū sit fabula Graiûm:
Sed tamen hæc aliquod, nec inanis fabula rerum,
Pondus habet) dirique olim fœdißima facti
Hos dedit & questus, dedit hanc iniuria vocem:
Quam modò continuam lacrymoso gutture mœrens
In longum trahit, inflexam modò murmure lento,
Multiplici variam gemitu variátque, rotátque
Arguta: intortam solers modò copulat, aut nunc
Concisam premit, ac breuibus distinguit epodis:
Nunc densum, nunc grande sonat, nunc tinnit acutū
Crebra gemens, nunc ad medias assurgit ab imis
Vocibus, hinc summas validis modò vibrat & vrget
Spiritibus. mox deinde silens, similísque dolenti
Infuscat vocem, tacitísque immurmurat vmbris.
Mox fractos inter gemitus, iterúmque cadentes
Integrat, & pleno reuocat sua carmina questu,
Prolixam intendens animosis vocibus auram:
Vnáque tot lituos tormentáque musica vincit
Garrula, natiuísque modis, & simplice voce.
Ergo age, viue, precor, nobis per frondea Iuræ
Confraga, viue, precor, longos philomela per annos,
Et tibi perpetuum ver floreat, atráque nunquam
Tempestas nimbosæ hyemis tua carmina turbet:
Oua nec ignauus coccyx, sobolémque tenellam
Nec turpis foueat buffo, dum cautibus absens
Indulges, fruticum sidens sub frondibus atris:
Tantus amor, cantúsque rapit te gloria tanta.

Ergo

Ergo age, viue, precor, nobis per frondea Lozæ
Confraga, viue, precor, longos philomela per annos.
Tu modò non tanto recolas tua carmina luctu,
Aut interrumpas dulces malè grata querelas.
Huc quoties, vt te liceat spectare canentem,
(Verùm audire sat est) venio, solúsque sub vmbra
Vel iaceo, virides vel propter obambulo ripas,
Aut Lozæ, aut Annæ liquido sua nomina Lozæ
Qui miscet, tacitus mecum mea carmina ludens
Dum meditor, veteréſque iuuat compellere musas
Paulisper: floréſve legens, herbáſque potentes
Nunc has, nunc illas demiror, & omnia lustro
Sedulus, aut faciem, aut vires exploro latentes:
Siue aliquam admirans describo in puluere formam,
Et magnum artificem contemplor, vt omnia solus
Arcanis regit imperiis, vt tempore ponit
Quæque suo, naturæ idem atque ordinis auctor:
Æstatem vt liquidam, breuioráque tempora noctis
Iam reuocat, messéſque coquit flauentibus aruis
Prouidus, & grauidis Autumnum fructibus ornat:
Vt pluuias, Hyemémque, & agentes frigora Coros
Excitat, & tristes densa niue conspuit agros.
Vt ver purpureum, Solémque diémque reducit,
Post sæuas hyemes, & iniquæ frigora Brumæ,
Fronde noua syluas, ripas vt gramine vestit,
Vt spineta nouis ornat frondentia gemmis,
Prataque non vno pingit stellata colore,
Dum matutinis distillant mella pruinis,

Dum teretes per prata micant ludúntque pruinæ,
Stilláque flammeolis dependet vitrea calthis,
Luteolo Narcisso, & luteolis Helichrysis:
Dum vel adhuc tenera lactens tibi culmus in herba
Primas tollit acus, nec iam noua seminis æquat
Herba solum, superant sulcos sed læta capaces
Iam sata, messorúmque altè surásque genúque:
Nec iam quas pluuius nimbis obsedit Orion
Continuis, miseræ siccis aluearibus intus
Tabescunt, circúmque fores & limina mussant
Languidæ apes: sed tum videas examina densa
Feruere, tum studio portis effusa iuuentus
Omnibus, hortorum latè populatur honores.
Interea Coccyx, Acredula, Chloris, Acanthis,
Atque aliæ passim volucres, nemora omnia cantu
Exsurdant, vocúmque fremit discordia concors:
Quas tamē omnes vna premet philomela, sub vmbra
Si semel inceptarit nunquam imitabile carmen.
Omnia quæ cœli nobis vitæque futuræ
Spem faciunt, posita veterum quum labe malorum,
Exuuióque putri, & fœdo squallore senectæ
Difficilis, semper virides, nitidíque iuuenta
Instaurati omnes nullo marcebimus æuo.
Nam mortem nescire datum tibi, turba beata.
Felices animæ, simulac & mole caduca
Et functæ luce hac fuerint, moribundáque membra
Exuerint, felix studiis concordibus æuum
Lætæ agitant, duce cum Christo, viuáque fruuntur

Luce

Luce Dei, corámque illum, immensúmque tuentur
Luminis æterni fontem, verísque potitæ
Diuitiis, sacris pariter concentibus omnes
In numerum, densæ toto dant iubila cœlo,
Cœlo, vbi pura bibunt puræ noua gaudia mentes,
Gaudia parta piis, atque obseruantibus æqui.
Multiplica Philomela modos, rumpe omnia cantu
Interea: téque hinc procul altera ripa Lemanni
Audiat exultans, admiretúrque canentem,
Et tecum nemorum contendat imago iocosa.
Hæc ego dum mecum meditor, plenáque beatus
Mente agito, vt sapiens nutu pater omnia solo
Temperat (ô felix & paucis nota voluptas)
Vt terram quatit, vt tonitru cœlum omne profundo
Concutit, ingentíque tonat per inania voce,
Terribilis, qua magnus Athos, quâ Põtus & Æthra
Intremere, & specubus Tellus mugire profundis:
Qua Piceásque, Ornósque & cani immania Iuræ
Marmora præcipitat, longæuáque robora circum
Deturbans, latéque casas, campósque iacentes
Obruit, & subito fordas conquassat abortu.
Hæc vox illa Dei est, qua se de nubibus, ingens,
Æstibus aut mediis, Autumni aut frigore primo
Effundit. Nimbis grauidus, niuibúsque solutis,
Omnis mons circum iuuat auxiliaribus vndis,
Quâ tepidas salebras aperit terræ Auster hiantes,
Et secum immensum pelago vehit agmen aquarum,
Quâ Rhodanus fremit, & refluus crepitantibus vndis,

Iam ſuperans ripas, rupto furit aggere, & omnes
Subruit aſſultans Aquileæ in littora pilas:
Arduum opus manuúmque opus ad bis mille laborẽ.
Quâ ruit inſanus, quâ triſti ſæuus inundans
Diluuio, longáque agros & culta palude
Occupat, heu, quantus, (proh) tũ pauor haurit inanes
Agricolas, quantíque, heu tum per agros vlulatus!
Hæc vox illa potens, Vulturni atque alitis Auſtri
Quæ premit, aut ſæuas iubet ire aut temperat iras,
Quæ tempeſtatum nimbos agit, aut vbi viſum eſt
Increpat immiſſos, fluctúque ſonante furentem
Compeſcit Rhodanũ & tumidi rabida ora Lemanni.
Vicinis quum nubigenæ de montibus amnes
Præcipitant, proníque ruunt ſurgentibus Euris.
Ferrea vox hæc illa Dei, quæ ſicubi fractas
Hic illic celeri percurrit lumine nubes,
Et ſonitus ciet horrificos mugítque tremendum,
Sulphureámque facem ſtridens agit ignea glauco
Fulgure, & inſano rapidum vomit impete fulmen,
Quod iam corripiat gelidi iuga frondea Iuræ,
Pinguibus increpitans tædis, quâ ſemita longo
Vltricis flammæ ſignauit lumine montes,
Per totum lacrymoſa vehens incendia Iuram.
Quæ tibi mens, Epicure, malus timor vnde repentè
Téque tuúmque gregem miſer occupat, vrget & vrit
Intus agens, ſubigítque Deum, ſcelerate, fateri?
Hic ille eſt opifex, rerum longè optimus auctor,
Qui circumfuſo librauit in aere terras,

Quíque

Quique suas intra metas maria alta coercet
Omnipotens, verbóque tenet solidata potenti
Et cœlum & medij gelidam liquidi aeris oram:
Humida qui gelidæ lunæ mouet incrementa,
Qui Solem regit, & campis immittit adustis
Opportunum imbrem, quum sicco languida cœlo
Terra hiat, ambustis (heu) quum sitientia marcent
Prata comis, ægris marcet seges arida culmis.
Nam pater è cœlo humoris miseratus egentes,
Protinus accersit nubes, dextráque potente
Exprimit, & vitam reddit morientibus herbis,
Arboribúsque satísque, volens ille arbiter & Rex.
Qui, rapidi licèt indociles Aquilonis habenas
Laxarit, Iurámque sua de sede reuellat
Arduus, aut, vrente Noto, per nubila vectus
Terribilis, diri iubar exitiale cometæ
Accendat, cœlíque malus color aëra mœstum
Inficiat, quum Luna rubens læuo horrida vultu
It tristis, Solémque suo lugubris opacat
Oppositu, vel & ipsa sua sub nocte laborat,
Aut morbos minitās, æstúsque, aut frigora, & imbres,
Denique nos centum circumstent vndique mortes,
Et nos diluuio ingenti circumsonet Orcus,
Res semper nostras oculis pater aspicit æquis:
Omnia constanti librata examine pensat
Prouidus, & rectè nil non agit optimus auctor.
Discite, degeneres animæ, disce impia turba,
Iam tandem esse aliquid sine origine, temporis exors,

Immenſum, æternúmque, à quo emerſêre creata
Omnia: ſurrige te, & mentis procul excute noctem.
Diſcite degeneres animi, diſce impia turba,
Eſſe Deum, arcano qui temperat omnia nutu:
Noſce Deum, cuius non enarrabile nomen,
Et cœlum & miſeri confuſa potentia regni
Lucifugûm, & mundi bruta hæc elementa tremiſcunt
Quem natura tremit venerans, vltróque fatetur
Et regem auctorémque ſuum, qui numine complet
Omnia, regem vno quo iudice ſtántque cadúntque
Res hominum, morbo hi iaceant, ſeu luce fruantur,
Siue illi patria extorres iactentur in alto,
Siue illi ſtudium armorum pacémve ſequantur.
Denique quidquid agant, tacita Deus omnia mente
Præuidit priùs, & ſecum longè antè futura
Conſtituit, prudénſque ſuo mox tempore promit
Singula. nec tamen eſt quòd, ter ſcelerate Lucreti,
In culpam traxiſſe Deum poßiſve putéſve.
Nam (proh ſacrilegæ mentes) auctórne malorum
Et ſcelerum optator fuerit Deus? optimus ille
Mundi opifex hominúmque ſator? licèt omnia ſecum
Decernat, fieríque velit, noctiſque miniſtri
Conſilia ipſius peragant, nil tale volentes.
Nam quæ obſtet vis vlla Deo, quando omnia poßit,
Omniáque Omnipotens quæ vult, molimine nullo
Perficiat, rerúmque adeò cauſa vna voluntas
Ipſius ſua ſit? quanquam tamen ille ſecundas
Subſternit cauſas etiam noxæque, dolíque,

F

Et sceleris: quò iam culpa sit liber ab omni,
Sed totam subeant vltrò facilésque sequantur
Corrupti mores hominum, scelerúmque tenaces
Sponte sua, veteri quondam exhortante colubro,
Quos Deus exitio & noctis crudelibus vmbris
Destinat, ante quidem quàm Sol aut terra fuissent.
Nec tamen hunc finem spectas, sed nominis ergo
Sancte tui, vitæ hinc aliquos educis in auras,
Qui iusto tandem interitu meritáque ruina
Exortem illustrent Patris Omnipotentis honorem.
Nam quî ex vllius damno mala gaudia captet
Rex Deus? atque suæ tantùm non consulat æquus
Gloriæ, & æternos quenquam det lætus in ignes?
Quãdoquidẽ Omnipotens secum recta omnia versat,
Nec sanctæ potis est noxa vlla insistere menti.
Et quia vult, illúdque semel decreuit ab æuo,
Haud aliter fecisse potest. At perfidus hostis
(Ille olim qui primum hominem indignatus aperto
Insontem, cœlo, & terra meliore potiri,
Traxit in exitium specioso callidus astu)
Antiquus coluber, cædísque dolique repertor,
Aut aliquid semper sceleris, centúmque nocendi
Artésque, & fraudum mille argumenta, dolósque
Cogitat & texit, nectítque subinde retexens
Noctes atque dies: aut rictu immanis hianti,
Errans per populos circumfremit ore cruento,
Si quâ fortè auidus prædam hauriat interceptam.
Impastus ceu manè leo prospectat, ab alta

Si videat ſpecula tendentem ad paſcua ceruum,
Increpitat, malis frendens, rugítque cruentum,
Sanguineis ardens oculis, & verbere caudæ
Se ſtimulat, ſiccáſque premit lingua aſpera fauces.
Non mihi tum per agros quiſquã perſuadeat auctor
Ire viam, aut ſtabulis, aut culmis fidere tectis.
Sic Deus huic minimùm ſi fortè relaxet habenas
Infami monſtro, regi illætabilis aulæ,
Protinus exultans, cœlo miſcere profundum
Audeat, informi confundat & omnia nocte,
Ni teneat Pater omnipotens, & voce potente
Increpet: ille humilis verò nihil hiſcere contrá.
Aſt vbi iam non plura videt ſe poſſe, ſuáſque
In ventum effundi vires, exæſtuat intus
Aegreſcens, ſecúmque animo indignante laborat,
Irritus incepti: & fruſtra ferus omnia tentat,
Tabeſcens crudeli odio, ſeſéque perurit
Ipſe ſua malus inuidia: votíque nefandi
Impatiens, peiora cupit, quærítque proteruus:
Tantus agit furor, & mala mens (heu) neſcia recti
Qua poßit veterem imprudens cumulare ruinam.
Nam quâ exire datur, volat atri turbinis inſtar,
Et quacunque fugit, (fuerit modò facta poteſtas,)
Nil intentatum ſceleríſque dolíque relinquit.
Sed quod agit, votis intactum optauerit olim,
Et nollet voluiſſe, modò quæ lætus obibat.
Quandoquidem nil tale putans, expérſque futuri,
Conſilio Domini arcano ſubſeruit, & illud

Perficit,

Perficit, haud aliter quàm si conamine toto
In patris obsequium facilis pronúsque feratur.
Etsi igitur Deus est vltor vindéxque nocentum,
Impiger, haud oculos tamen hûc conuerterit vnquam
Improbus, aut eius verum spectarit honorem,
Dum pœnis sontes animas exercet, & vrit
Mille modis, sæuásque acuit fœcundus in iras.
Scilicet is Domini obseruans mandata capessat
Perfidus, aut docilis tandem meliora sequatur:
Quum potiùs diras quascunque huc aduocet artes,
Et Dominum contra toto ruat impete præceps,
Insano liuore macens, animúmque malignum
Ille Dei iussis, (eius si quando seuera
Iustáque iudicia exequitur, sæuissimus vltor)
Afferat, & solo affectu pura omnia fœdet,
Atque adeò prauis hominum se mentibus indat,
Exitio sese atque homines ruiturus eôdem,
Dum scelera hortatur, cœlíque obliuia suadet.
Mira Dei, proh, consilia, incomprensáque virtus!
Hîc igitur Domini verè inscrutabile numen
Iam tacitus tandem supplex Epicurus adoret.
Sic sua quandoquidē exsequitur Deus, hoste ministro,
Consilia, atque volens peragit quæcunque volebat:
Sic tamen vt si quod vitium fuit, illud ab hoste
Fluxerit, & generis læsa semel indole nostri,
Sponte sua. Haud etenim vitij Deus auctor in vllo est.
Interea Deus hic verè est qui cætera solus
Molitur: nullus nec eum labor vrget agentem,

Tranquillus placida secum sed pace quiescit:
Et quamuis tot facta hominum, tot denique motus,
Tot regat & statuat rerum faciésque vicésque,
Consilium semper tamen immutabile seruat.
O mira, ô nulli satis enarrabilis vnquam,
Proh, natura Dei, si hæc est Natura vocanda.
Hîc igitur Domini verè inscrutabile numen,
Iam tacitus tandem & supplex Epicurus adoret.
Hîc stupeat natura, Deum mirata potentem,
Immensum, æternum, mentísque indagine nulla
Deprensum: hîc stupeat veterum sapientia Graiûm,
Ac quicunque negant secum semel omnia certò
Decreuisse Deum, nec res curare caducas:
Quæ fragilem vt cannã referant, tamen omnia curat
Prouida mens. Nam quid cœli pulcherrimus ordo,
Quid cœlum, quid Sol radiis vibrantibus ardens
Aureus, immensus? quid pleno argentea Phœbe
Lumine? quid nitidus vesper? quid cætera mundi
Luminàque stellæque? quid &, pulcherrime rerum,
Si tecum mundi artificem, si luminis illum
Immensi Oceanum reputes, mentémque beatam,
Lucis inaccessis habitat quæ sedibus ingens,
Maxima inexhausta perfundens omnia luce,
Omnia fumus erunt, indignáque principe tanto,
Si vel ad exiguam diuini luminis vmbram,
Protuleris, penitúsque, illato lumine, iamiam
Tabescent, liquefacta niuis vel grandinis instar.
Ergo nec illa Deus curauerit? & tamen omnes

Huic

Huic domino imperium tribuunt ſedémque tonanti.
Ille ergo eſt qui cuncta mouens, & cuncta potente
Mota ſupercilio amplectens, amplexa gubernat,
Omniáque arcano præeuntibus ordine cauſis
(Quas poſuit, reuocátque volens, iterúmque reponit)
Anteuidens ſecum ſtatuit, moderatur & vrget.
Hic ille eſt opifex, rerum cauſa vna bonarum,
Qui tot quadrupedum formas, tot monſtra per alti
Luſtra maris, faciéſque nouas, moréſque natantum,
Tot pictas etiam volucres (ſiue aſpera montis,
Siue vrbes, ſeu rura colant, fluuióſve, lacúſve,
Riparúmve thoros, lucíſve ſonantibus errent)
Formauit, nullóque prius de ſemine duxit
Materiam, vitámque volens dedit omnibus auctor
Optimus, & noſtros hæc omnia condita in vſus
Ingratis vtenda dedit mortalibus: & te,
Te nobis, Philomela, dedit, quæ vere ſereno
Grata redis, duræque affers obliuia brumæ,
Quæ cœli iuuenile decus, mundíque iuuentam
Sole nouo teſtata, dies noctéſque, ſub vmbra
Emodulans, vernis latè loca cantibus imples,
Pro triſti Borea, & nigris Aquilone procellis.
Hæc ego dum tacitus meditor, ſeu veſpere ſudo
Cum dulci conſorte thori, charóve ſodali,
Vrbe procul, valles in apertas veſpere puro
Egrediar, ſeu mane iugum ſuperaſſe iuuabit
Saluebeli vmbroſi, & ſummo ſuper aggere collis
Purpureum trahere ore diem, ventóſque ſalubres:

Multiplica

Multiplica, Philomela, modos, rumpe omnia cantu,
Obsurda virides dumos & opaca vireta:
Nos comple, Philomela, modis: numerósque bibentem
Aure tuos auida, totum me argutula comple
Cantibus argutis, & multisono modulatu.
Si facias, hæc sunt (& res mea vota sequetur)
Quæ gratus precor, & grato tibi carmine canto.
En age, viue, precor, nobis per frondea Iuræ
Confraga, viue, precor, longos, Philomela per annos.
Orphea tu syluas ducentem, Amphiona rupes,
Argutúmque Linum, Methymnæúmque domantem
Monstra maris, querulos animat dũ pectore neruos,
Longè prætereas, tu nablia, naula, lyrásque
Argutas, vna obscures: veterísque cicadam
EVnomij, doctósque modos, seu quidquid in vmbra
Arcades imparibus calamis cecinere per alta
Mænala: tu Phœbo Musísque canentibus vna
Inuidiam, Philomela, moue, magnóque nepoti
Pleïones. nec tu porrò tamen omnibus istis,
Nec senibus cygnis, quando sua funera mœrent,
Inuideas arguta modos. Te nulla sonora
Hydraulis moueat, nec acuta carmina cantu,
Quanuis mille gemant media de nocte per alta
Auia, syluarúmque procul vocalis imago
Responset longùm fractas ad sydera voces:
Nec quæ multiplices syrinx argentea cantus
Follibus increpitans animata tumentibus edit:
Edit inæquales digitis pulsantibus vrgens

Multisono clangore tubas, animáque sonante,
Nunc lituum simulās, nunc tympana, sistra, tubámq;
Aut cytharam, strepitúmq; lyræ, crotalósq; loquaces:
Mille licèt geminent centum discrimina vocum
Cymbaláq; organáq;: haud vnquā tamē omnia poßint
Vallibus his æquare tuas, Philomela, querelas.
Sed tibi, sed primis semper noua frondibus arbos
Frondeat, vmbrosæ lætis sub collibus Annæ,
Hîc vbi lenta suas Lozæ ludentibus vndis
Miscet, & hinc iuncto Lozannam nomine dicunt.
Ergo age, viue, precor, nobis per frondea Iuræ
Confraga, viue, precor, longos Philomela per annos:
Iste tuus, mi Beza, tuas qui sæpe camœnas
Admirans, sterili dixit conuitia Musæ,
Hunc tibi, Beza, dicat, gratū hūc tibi, Beza, laborem
Nuncupat, æterni monimentum & pignus amoris:
Sic Philomela meum virgulta per omnia Bezam,
Per nemora & dumos, pérque vmbriferas conualles
Et canat, & longo resonet mihi carmine Bezam.

HIC QVOQVE, CHRISTIAne Lector, fas ſit adiungere eiuſdem doctiſsimi, optimíque viri, Ioannis Tagautij, aliud carmen, ſempiterna memoria dignum: quod hiſtoriæ Gallorum Martyrum ſub Voti nomine nuncupauit.

Sancte audi: ſancto facilis, precor, annue voto,
Magne opifex, cuius non enarrabile nomen,
Et cœlum, ac miſeri confuſa potentia regni
Lucifugûm, & mundi bruta hæc elementa tremiſcunt:
Quem Natura tremit venerans, vltróque fatetur
Te Regem Auctorémque ſuum, qui numine complet
Omnia: Regem vno quo iudice ſtántque cadúntque
Res hominum, morbo iaceant, ſeu luce fruantur:
Seu bellum pacémve feras & gaudia vitæ.
Aſpicis vt Babylon Pacem tot poſcat ab aris
Impia, & interea cæco ruat acta furore
In ſcelera, ínque nefas non enarrabile caſtis?
En ſecura tui vetitos tranſcribit honores
In laruas hominum & mortalia corpora vecors.
Aſpicis vt ſpoliet te Maieſtate verenda
Et titulis, dum neſcio quos ſibi comit & ornat
Mentitúrque deos, ſociûmque tibi agmina iungit:
Téque amens cruſti concludit in orbe nefandi,
Quod rerum ignari, & miſerum quod vulgus adoret.
Aſpicis hæc, & ferre potes ſcelera iſta nefáſque?
Iræ tam patiens potes hæc tolerare tot annos?

Quin

Quin potius terras iterum Pater obrue, terras,
Diluuio, & penitus nunc rerum elementa laborent:
Corruat & fractus iam nunc compage soluta
Orbis: iámque nihil, nedum chaos, omnia fiant:
Aut cadat horrendo mundi cinefacta fragore
Crudelis Babylon, terræ communis Erynnis,
Contemptríxque tui, & tantorum causa malorum,
Inuadens miseras Veri sub imagine gentes,
Parca boni, scelerum atque alienæ prodiga vitæ.
Iam Romam furor ille tuus, Romæque tribunal
Sacrilegum, furor ille tuus nunc sulphuris imbre
Corripiat, qualem mare prodigiale Sodomes
Infandæ spirat, diríque bituminis ater
Gurges, & atra palus flammis infamibus vndans.
Quo quondam fœcunda loco, diti vbere tellus
Prouentus dabat ingentes frugúmque meríque:
Nunc tantùm infamis lacus, illuuiéque nefanda
Heu! squallens regio, & misero terra horrida vultu.
Te dira, heu! Babylon nondum rapit ignea cœli
Tempestas, nec adhuc tristes hausêre tenebræ,
Et caligo nocens, terræque immanis hiatus?
Non Erebi fratres, nondum te Tartara pœnis
Exercent scelerata, hominúmque Deíque flagellum?
Te super Omnipotens acrem nunquámne furorem
Terribilis pluet incumbens, penitúsque recidet?
Sed quid ego? non sic Deus omnia protinus igne
Corripit, aut sontes lacrymoso protinus orco
Plectit: sed iustum expectat (ne accersite) tempus,

Quo ſcelus in cumulum creſcat, molíſque nefandæ
Incrementum ingens, ac ſe iam ferre laboret,
Et iam nutanti ſub pondere ſponte fatiſcat,
Séque ſui tandem penitus, penitúſque ruina
Obruat: & ſceleris ſcelus hauriat alta vorago.
Vos igitur quos tanta tenet fiducia vitæ
Et ſcelerum, rebus nunc indulgete caducis.
Ite: ſed iſta olim conſtabunt gaudia magno.
Mox aderit tempus, quum iam quas mente ſecatis
Spes interdictas, & inania vota per auras
Diſcerpent venti, faſtúmque animóſque feroces
Molliet vna dies, tandémque dolere docebit.
Ergo age Roma tuos, age fac pia Roma Cynædos
Securos ſcelerum, ſatia te ſanguine iuſto
Dum licet, & nullum tibi fac iam crimen inauſum:
Exulta fidens quantumlibet, omnia tenta
Infamis Babylon: terræ commune lupanar
Roma (Lupæ nam cur author tuus vbera fruſtra
Suxiſſet?) meritam quæ te obuoluêre tenebræ?
O ſi te quis iam manet exitus antè videres:
Nã tibi mox gemitũ & lacrymas, miſeróſq; vlulatus,
Vltrices furias & ineluctabile fatum
Attulerit iam ſumma dies tibi ſera gementi.
Ride age, terrarúmque nefas crimênque Sodome
Impia. Quòd ſi nunc cœli te languida claudo
Securam vindicta gradu ſequitúrve premítve,
Ingenti nec adhuc ferri trabe frangit auaros
Pontifices, miſerúmque iſtum infamémque Dialem,

Quem nimiùm, heu! nimiùm funesta Lutetia nouit,
Hoc mage terribilem spera scelerata ruinam.
Sera pedes lanæ instar habet vindicta, sed acres
Ingeminans ictus, & ferrea brachia quassans
Per populos: pede prosubigit calcátque tiaras
Pontificum Regúmque, magistratúsque superbos,
Æratis quondam audaces qui frontibus audent
Insultare Deo, & lentum irridere furorem
Numinis, & cornu cœlum pulsare feroci.
Sic vbi Vulturnus, furiosáque verbera Cori
Procumbunt pelago (quum matutinus Orion
Occidit) ecce ater rapido furit impete fluctus,
Et vanùm exultans, præceps vehit agmen aquarum
Arduus, ac longo rupem se murmure contra
Impatiens agit: at mediis, elusus, in vndis
Frangitur exanimis, scopulóque refusus in æquor
Dilabens perit ille furor, saxóque latranti
Languidus immoritur, vanáque obmurmurat ira:
Ergo Deus populos, metuendáque nomina Reges
Tum demùm edomitos, en tandem pulueris instar
Cõminuit, spargítque manu, nec iam amplius vsquã
Apparent: veluti quum verrit Circius agros,
Pulueream in ventos cernis vanescere nubem.
Hîc tandem miseros ridet securus ab alto
Mortales Deus: hîc victis ex hostibus vltor
Dat ventis spolia, & currum comitantur ouantes
Victoris Domini circum ventíque niuésque,
Fulguráque & nimbi, tempestatésque sonoræ.

Ipſe triumphatos ſpectans longo ordine Reges
In ventos abiiſſe: Viden', ait, impie, tandem
Quid poßit Deus? hæc vobis ſunt præmia, Reges,
Debita: ſic hominum vanis conatibus obſto
Irridens: mihi non opus eſt maioribus armis.
Non ego qui ranis, paruiſque volantibus olim
Aegypti potui tot debellare tyrannos:
Quos populi gentiſque meæ ludibria feci?
Idem ego, quum miſero nuper conuiuia luctu
Mutarem, ludens Regum furioſa repreßi
Conſilia: & decreta vnius Regum irrita feci.
Iſte vbi nunc, famâ totum qui compleat orbem,
Terribilis, mediáque volet cataphractus arena
Purpureis inuectus equis? agat ipſe triumphum
Iam ſine me: pacem is longos dum quærit in annos,
Ecce meo iuſſu mediam ferit ardua frontem
Lancea, quæ medio ſtridens ſtetit acta cerebro.
Turbantur procerum cunei, turba inſcia muſſat:
Sed dum nullus adeſt, galeæ qui vincula ſoluat,
Semianimem qui tollat equo, qui vulnus oliuo
Abluat: exhibeo hæc populis ſpectacula Regum.
Ergo agite, ô miſeri, & quiſquis mea iuſſa, meóſque
Spreuerit, ille meum ſic ſentiat ille furorem,
Et Ius Fáſque meum pœnis, inuitus, honoret.
Sic eat æternùm, & Legi ſua pondera ſunto.
Sic ait, & dictu dedit immutabile pondus
Omnipotens. I, frende igitur ſcelerate, Deúmque
Crudelem miſer appella, duraque Tyrannum

Legis

Legis, & insontes feralibus obrue bustis,
Tabescens crudeli odio, téque ipse perure
Carnifice inuidia tortus, votíque nefandi
Impatiens, animo tecum indignante labora
Impie: disce tuas prudens cumulare ruinas,
Nil intentatum scelerique dolísque relinque:
Sed quod agis, votis intactum optaueris olim,
Et nolles voluisse, modò quæ lætus obibas.
Mira Dei, proh! consilia, incomprensáque virtus.
Hîc maiestatem Domini inscrutabile numen
Iam tacitus tandem & supplex Epicurus adoret.
Mirandum, sua persequitur Deus hoste ministro
Consilia, exequitúrque volens quæcumque volebat:
Sic tamen vt si quod vitium fuat, illud ab hoste
Fluxerit, & generis læsa semel indole nostri
Sponte sua: nec enim vitij Deus auctor in vllo est.
Cætera semper agit, Deus est qui cætera solus
Molitur, nullus verò labor vrget agentem:
Tranquillus placida secum sed mente quiescit.
Et quanuis tot facta hominum, tot denique motus,
Tot regat & statuat rerum faciésque vicésque,
Consilium semper tamen immutabile seruat:
Nam neque tum primùm Mentē subit illa voluntas,
Æternam Mentem: sed rerum in origine prima,
Sic Domino antè quidē fixum immotúmque sedebat.
O mira, ô nulli satis enarrabilis vnquam,
Proh! Natura Dei, modò si Natura vocanda est!
Hîc maiestatem Domini, inscrutabile numen,

Iam tacitus tandem & supplex Epicurus adoret.
Hîc stupeat Natura, Deum mirata potentem,
Immensum, æternum, mentísque indagine nulla
Deprensum. Hîc stupeat veterum sapientia Graiûm,
At quicunque negant, secum semel omnia certò
Decreuisse Deum, nec res curare caducas:
Sint fragili cannæ similes licet: Omnia curat
Prouida Mens: nam quid cœli pulcherrimus ordo,
Quid cœlum, quid Sol radiis vibrantibus ardens
Aureus, immensus? quid pleno argentea Phœbe
Lumine? quid nitidus vesper? quid cætera mundi
Lumináque stellæque? quid &, pulcherrime rerum,
Si tecum mundi Artificem, si luminis illum
Immensi Oceanum reputes, Mentémque beatam
Lucis inaccessis habitat quæ sedibus ingens,
Maxima, inexhausta perfundens omnia luce,
Quam nullis hominum verbis effarier vnquam,
Hîc poteris, captúmque adeò supereminet omnem.
Omnia fumus erunt, indignáque Principe tanto,
Si vel ad exiguam diuini luminis auram
Protuleris, penitúsque illato lumine: iamiam
Tabescent, liquefacta, niuis vel grandinis instar.
Ergo nec illa Deus curauerit? Et tamen omnes
Huic Domino imperium tribuunt, sedémque tonãti.
Ille ergo est qui cuncta mouens, & cuncta potenti
Mota supercilio amplectens, amplexa gubernat:
Omniáque arcano præeuntibus ordine causis
(Quas posuit, reuocátque volens iterúmque reponit)

Antè videns secum statuit, moderatur & vrget.
Ter quater infelix iam nunc, Epicure, quid hæres?
Agnoscísne Deum infelix, Mentémque potentem?
Discite degeneres animæ, disce impia turba
Jam tandem, esse aliquid sine origine, temporis exors,
Jmmensum æternúmque, à quo emersêre creata
Omnia: surrige te, & mentis procul excute noctem.
Discite degeneres animæ, disce impia turba
Esse Deum, arcano qui temperat omnia motu.
Nam quæ obstet vis vlla Deo, quando omnia poßit,
Omniáque Omnipotens quæ vult molimine nullo
Perficiat, rerúmque adeò causa vna, voluntas
Ipsius sua sit? Quanquam tamen ille secundas
Substernit causas etiam, noxæque dolíque
Et sceleris, quò iam culpa sit liber ab omni.
Nam, proh! sacrilegæ mentes, Authórne malorum
Et scelerum hortator fuerit Deus? optimus ille
Mundi opifex hominúmque sator, licet omnia secum
Decernat, fieríque velit, noctísque ministri
Consilia ipsius peragant nil tale volentes?
Denique quicquid agant, tacita Deus omnia mente
Præuidit priùs, & secum longè antè futura
Constituit, prudénsque suo mox tempore promit
Singula. Nec tamen est quòd, ter scelerate Lucreti,
In culpam hinc traxisse Deum poßísve putésve.
Sed totam subeunt vltrò, facilésque sequuntur
Corrupti mores hominum, scelerúmque tenaces,
Sponte sua, veteri quanquam hortatore Colubro.

Sic, Lunæ obiectu, media quum luce repentè
Sol latet, & cœlum subitis contexitur umbris,
Hæc regio nil noctis habet, tota illa tenebris
Obruitur, medióque die, noua sydera cœli
Miratur, mundíque putat venisse ruinam.
Nec tamen interea quicquam de lumine Solis
Decedit, vultúmve nigra ferrugine tinxit.
Non astri hoc vitiũ, non astri hæc culpa, nec vlla
Luminis inuidia est: nam lampade semper eâdem
Irradiat Solis rutilo globus aureus orbe.
Obscœnæ si noctis aues in luce patenti
Caligant, nitidíne iubar genitabile Solis:
Propterea incusent, lucémque diémque perosæ:
An hebetes oculos potiùs, vitiúmque videndi?
Iam nunc ergo queri quid possit & audeat vllus?
Nam (miseri) exitium nobis accersimus vltrò
Degeneres, sequimúrque nefas vltrò omne volentes.
Quòd si aliquos Deus exitio & crudelibus vmbris
Destinat, antè quidem quàm Sol aut terra fuissent:
Haud tamen in culpa est siquid malè gesseris olim:
Nec Deus hunc finem spectat, sed Nominis ergo
Ille sui, vitæ quos vult educit in auras,
Qui iusto tandem interitu, meritáque ruina,
Exortem illustrent Patris Omnipotentis honorem.
Nam quî ex vllius damno mala gaudia captet
Rex Deus? atque suæ tantùm, non consulat æquus
Gloriæ, & æternos quenquam det lætus in ignes?
En quô nunc igitur gens præcipitata sub vmbras:

Ausa

Ausa olim tam immane nefas in sedibus altis,
Ore Deum incuset? quid verò deinde querantur
Mortales miseri, qui vita & crimine dudum
Sint meriti æternæ chaos irremeabile noctis?
Hîc quid habes Babylō? quid habes impure Cynæde
Quod poßis æquo Domini obiecisse potentis
Iudicio? meritámne vides his te, impia Roma,
Vt Deus obuoluat tenebris, quibus antè profanam
Obruit AEgyptum? meritò tibi maximus Vltor
Eripuit mentem, & prorsum sine luce relictam,
In scelera, ínque nefas, & ineluctabile cœnum,
Permisit ruere, & cæco indulgere furori.
Væ tibi, væ Babylon, cœlo & mortalibus ipsis
Inuisa, heu! toties meritas quæ sanguine pœnas
Peste, fame, flamma, cœli, terræque ruinis
Persoluis recidiua, pij Vatúmque Patrúmque
Sanguinis, heu! nimium sitiens scelerata: sed vmbras
Legis, & infandos obseruans sedula ritus.
Impia, proh! Meretrix quæ mœchos ebria Reges
Sanguine spumanti patera, dulcíque veneno
Sollicitas, miserósque malo furiata veterno
Dementas populos, spectas hæc funera, spectas?
Tot tristes tabulas, tot sancta cadauera cernis,
Bellua, nec te animi tandem crux vlla perurit?
Tun' sicco spectare potes tot funera vultu?
Ilicet hæc sunt illa, hæc sunt præclara Senatus
Purpurei ornamenta, hæc sunt decora inclyta Romæ:
En illa hæc sedis sunt firmamenta nefandæ,

Hæc pietas, hæc relligio tot ficta per annos.
Aspicis hos tumulos atque hæc monumẽta piorum
Qui nitidi tormenta inter flammásque relucent,
Aut quos mille dolis, vna nec morte necasti?
Vltrices illi ad pœnas aliquando reposcent
Téque tuósque deos. Satis, ô stola, sanguine iusto
Ebria: iam veniet tempus, iamiámque propinquat,
Quum magno, sed verò frustra, optaueris emptos
Insontes illos: nec enim sine vindice iustus
Illorum tibi sanguis erit, quos candida vestit
Nunc stola, quòd Christi calicem & crudele dolorum
Simpullum intrepidi, venis sitientibus, vltro
Ebiberint, mediósque rogos subiere volentes,
Victricésque ardenti animas sub fasce dedêre:
Quæ simulac terras auidæ moribundáque membra
Liquêre, anteuolant Zephyros plaudentibus alis,
Vt leuis in naphtham sulco volat alite flamma:
Séque choris alacres tandem felicibus addunt:
Et tandem felix studiis concordibus æuum
Læta agitant duce cum Christo, viuáque fruuntur
Luce Dei, corámque illum immensúmque tuentur
Luminis æterni fontem, vitæque beatæ
Diuitias, pedibúsque polos & sydera calcant.
His Deus exemplis nos excitat: hinc noua nobis
Pectora format agens, & casibus vrit acerbis,
Ne Fidei languens intus sit inutilis ardor:
Neu male suada pios falsa sub imagine recti
Sopiat in tenebris miseræ fiducia pacis.

Sic

Sic his sæpe suos percellit & implicat olim
Monstris Omnipotens, & nos examine duro
Pertentans, aperit circum mille vndique mortes:
Quò sibi nos reddat, quò nos super ardua cœli
Inuitos trahat, atque sui succendat amore,
Edoctos nusquam humanis confidere rebus:
Sed Patris arbitrium cupidos vocémque sequentes.
Ista pias adeò formant certamina mentes.
At verò nocti sempérque silentibus vmbris
Iam mersos, & densa olim caligine condi,
Atque adeò illorum cineres, famámque profundis
Obduci tenebris, & ferro & carcere dudum
Rebare extinctam, flammísque voracibus haustam:
Sed cœlo visum est aliter: námque incubat istis
Fama ingens Tumulis, quæ sese ex oßibus vltrix
Protulit innocuæ gentis, latéque per omnes
Vulgauit populos, ingenti maxima plausu
Egregias animas, nolit velit, ægra tyrannis
Roma tua, & cineri dat splendida nomina muto.
Ergo agedum illustres animæ, vos posthuma fama
E nocte & tenebris, ad vitæ & luminis auras
Ecce tubæ reuocat sonitu officiosa potente
Emeritas, sanctéque pio certamine functas.
Vos Pater amplexu non dedignatus amico,
Arbitrio fati exemptas, Regúmque furori,
In cœlum Pater Omnipotens excepit ouantes.
Quare agite & sacris etiamnum accẽtibus omnes
In numerum, densæ toto date carmina cœlo:

Cœlo, vbi perpetuas ales chorus haurit anhelans
Delicias, puræque bibunt noua gaudia mentes:
Gaudia nil humile aut fluxum ſpirantia porrò,
Gaudia parta piis atque obſeruantibus æqui.
Veſtra ſed hæc olim memores exempla ſequuti
Sic cœlum repetant gratíque piique nepotes,
Qui dederint vltrò duræ ſua nomina Chriſti
Militiæ, ſancta cum maieſtate malorum
Tot læti gladios, & tot crudelia paſsi.
Hæc vobis magè marmoribus vel mole ſuperba
Pyramidum, longos perduratura per annos
Sancta piis inciſa notis monimenta parauit
Hieropolis: verbis etiam Criſpinus amico
Iuſta facit voto, & patrio ſermone parentat.
Quòd ſi ego nil aliud potero, vos carmine ſaltem
Proſequar, & Siticen memorabo funera plauſu.
Veſtra pio, & veſtras comitabor carmine flammas.
Ergo, liber, populos procul ex Oriente remotos,
Quà patet orbe olim Romana potentia victo,
Ad Tanain, ad Cimmerios, atque vltima Ponti,
Aureus à Iura peragra, viridíque Lemano.
Sauromatas, i, viſe, doce, gelidóſque Polonos,
Quos modò cœleſti renouatos Spiritus aura
Progenuit miſerans, longáque à nocte reduxit:
Orchadas, & Scotiæ plenis pete littora velis:
Hîc nuper lux illa Dei verbúmque Salutis
Sacrum illud noſtræ manifeſto lumine coram
Explicuit ſeſe, hîc ſedes tutíque receptus

Sanctis Europæ exulibus profugísque parantur.
Vise anni Solísque vias, vbi nostra Canopum
Gens videt, & nostris contraria sidera cernit
Admirans, longè Europa Calpéque relictis.
A tergo, Ammericam propter, quà languidus annum,
Exiguum vertens, gelido sub sydere nobis
Sol hyemem facit, & currit breuioribus horis
Quà patet, ínque sinum pandit se diuite luco,
Bresilia: infelix suprà execratáque tellus
Cannibalûm, Paranas infrà, Lepetísque, sonanti
Murmure gemmarũ & squammis crepitantibus auri,
In mare præcipites, iuncto simul agmine currunt.
I, liber, & reduces iterum solare Britannos,
Post longa exilia & laqueos cineré sque suorum:
Quos inter pietate grauis, venerandus, honora
Canicie, dextram medios qui lætus in ignes
Coniecit, nostro fulget memorabilis æuo
Crammerus: pete culta, liber, quæ Sequana lambit,
Quæ Ligeris secat, & Rhodanus, rapidúsq; Garunna.
I, liber, & veteres mœrens inuise tot vrbes
Quà Rhenus fluit: auriferis quà diues arenis
Turbidus Oceanum leni Tagus agmine pulsat:
Et te Roma legat caput imperiúmque malorum.
Tu verò, tu Christe faue, qui luminis imbre
Cuncta foues, seruas, & alis, solidáque serenas
Lætitia, & castis renouas mortalia corda:
Alme faue, & sanctis præsens allabere cœptis:
Cœlestíque patrocinio mendacia contra.

Et vulgi rabiem, præsens monimenta tuorum
Incisa his tabulis iam ter rediuiua tuere,
Queis latè circùm tua lux & gloria crescant.

CLARISS. VIRO, D. CHRIstophoro Herdesiano, Illustris Norimbergensis Reip. à consiliis, Carmen παραμυθητικόν.

Sylua IX.

ERgo pium rursus repetito vulnere pectus
Saucius, indulges iusto, Herdesiane, dolori,
Amissa duplici nunc orbus coniuge coniux:
Nec tibi se socium in lacrymas adiunget amicus?
Immò terrarum longum licet interuallum,
Et montes fluuiique vetent nos corpore iungi,
Absit vt, absentis veluti contemptor amici,
Non lacrymis lacrymas, nō planctus planctibus addā.
Hoc etenim præscribit amor, pietásque requirit,
Aduersa vt pariter, pariter communia ducant
Prospera, sinceri quos vinclum iunxit amoris.
Nec vanum hoc etiam fertur solamen habere,
Partiri quîcum & curas & gaudia poßis.
Ergo pias tecum iuuat instaurare querelas,
Et priscos damnare sophos, qui saxea nobis,
Atque omnis motus expertia pectora fingunt.
Quippe tuæ, quanuis nullo mihi tempore visæ,
Coniugis aßiduè sese mihi sistit imago:

Cernere

Cernere quam videor, media inter gaudia fausti
Læta puerperij, mutata sorte, repentè
Mortifero oppressam paulatim cedere morbo,
Brachia tendentem, atque oculos in morte natantes,
Et te, summe Deus, suprema voce vocantem.
Sed quid ago? media hæc inter suspiria cerno
Protinus en nulla mortis formidine victam,
Ad superas hilarem vi tota tendere sedes:
Te verò forti testantem pectore, quantum
Non homini duntaxat homo, sed & ipse viro vir
Quid præstet, cui mens cœlesti est igne recocta.
Te, te, inquam, video sic, Herdesiane, valentem,
Vt quod sentis onus toleres sub pondere victor.

TH. BEZAE CLARISS. VIRO Iacobo Lectio, I. C. Senatori Geneuensi, Carmen παραμυθητικόν. in quo charissimæ vxoris suæ Claudiæ Denosæ obitum deplorat.

AEGris si qua ferunt animis solatia Musæ,
Et luctum illacrymans delinit amicus amici,
Accipe, mi Lecti, communes fundere tecum
Quas me iussit amor lacrymas: Nam pectore quanuis
Nos deceat cunctos inuicto frangere casus:
Non tamen aut ferri, aut rupis fuit indita nostris
Durities animis, quum rerum conditor olim
Illum hominem ex limo primum compingeret vdo.

Et ſic ille ſuos patienter verbera ferre
Impoſitáſque iubet plagas, vt numinis iram
Ipſáque ſentiri quæ ſanat vulnera poſcat.
Luges, & meritò luges, lectiſsime Lecti,
Amiſſam, potior quâ nec tibi moribus vxor
Optari potuit, nec formâ, aut aptior annis.
Duplicat hoc ingens, aliud quod, non minùs ingens,
Tempore ſenſiſti miſerabile vulnus eôdem:
Rapta tibi quàm nata priùs morientis in aluo
Quum moriens matris ſoboles, & funere funus
Eheu, quum duplex nos efferremus in vno.
Iuſtus vterque dolor: quorum quàm ſit prior ille
Terribilis, didici, quum te, mea Claudia, nuper
Tam ſubitò amiſi: mea te, inquam, Claudia, quîcum
Perpetuâ exilij ſociâ, caſúſque per omnes
Acta quater denos felix mihi vita per annos.
Quo caſu oppreſſum memet noctéſque diéſque
Mœrentem, & vana defunctam voce vocantem,
Quâ ſim ſolatus ratione, & vulnere nondum
Sanato, conſoler adhuc, narrare iuuabit:
Ipſe tuos poßis quod vertere forſan in vſus.
Frigida ſunt certè (veterum quod pace ſophorum
Dixero) quæcunque hîc hominum ſapientia dictat.
Mirarí que ſubit, ſi vera eſt fama, Platonis
Paucula de vita quædam meliore loquuti
Vocibus excitum quendam, interiiſſe volentem.
Siue parens igitur, ſiue vxor, frater, amicus
Interiit, mortalis erat: cur luxeris? aiunt:

Sed

Sed quid si ante diem, violenta aut morte peremptus?
Hîc etenim naturæ intra se sistere leges
Mens offensa nequit: nec certè proficit hilum,
Mortalem scire hunc natum quo plangis adempto,
Propterea minimè expuncta ratione doloris.
Sed quorsum luctus, aiunt, & mœror inanis,
Nescia quum flecti spernat mors surda querelas?
Immò, ô tu, quisquis tantos hac arte dolores
Vinci posse putas, quidnam est hoc stultius vno?
Quid si etenim victum diris cruciatibus ægrum
Compellans medicus, Tot, dicat, omitte querelas,
Et totas animo nunc forti collige vires,
Nam tuus hîc nulla est morbus medicabilis arte:
Non tu illum medici indignum cognomine clames?
Nec verò nobis hæc luctus caussa, quòd illo
Exciri gemitu manes nos posse putemus,
Aut Samij delira senis commenta probemus:
Sed nos huc natura trahens, in imagine Mortis
Humanam cogit spectare & plangere sortem.
Adde quòd est istud quoque non vulgare doloris
Lenimen, quod mente latet, depromere voce,
Inque sinum chari posse exonerare sodalis.
Ergo alio nobis opus est medicamine prorsus,
Quod multò potior retegit lux numinis illa
Quæ cœlo ex ipso emanans, animísque piorum
Irradians, Pulchri & Turpis discrimina verè
Sola docet, monstrans animi quos tollere motus,
Quos itidem iniecto deceat compescere fræno.

Hac igitur quod ego didici monstrante magistrâ,
(Sint quanuis bene nota tibi, & re cognita) tecum
Quæso, recordari ne me indigneris, amice.
Imbre oculósque, genásque madens, & corpore toto
Horrescens, animóque iacens prostratus, & vnam
Amissam vxorem præter nil corde volutans,
Has interrupta fundebam voce querelas.
Siccíne te video exanimem, mea Claudia, quîcum
Consenui? florente mihi quæ iuncta iuuenta,
Fida viro comes hæsisti ægro, fida valenti?
Qua non vlla fuit coniux mage grata marito,
Nulla suum coluit magis officiosa maritum?
Sic-ne, inquã, tibi, sic tibi, vah mea Claudia, quinta,
Quinta superueniens ægræ lux lumina clausit?
Nec datur hoc nobis, animâ vt qui viximus vnâ,
Corporibus tumulo pariter condamur eôdem?
Talia iactabam, quum me subitò sacer ille
Spiritus inuadens, quid agis, Beza, inquit, inepte?
Túne Deo summè semper sapiente, bonóque
Mortales auctore neges nascíque, moríque?
Ergo quid furor est, si non merus hic furor, eius
Imperio vnius non se submittere totum?
Has sed enim lacrymas vis exprimit, inquit, amoris.
Quid si odium potiùs specie te fallit amoris?
Nam si verus amor communia ducit amici
Omnia, nunc lætus lætis, nunc tristibus idem
Illacrymans, Quidnam verò tua Claudia tandem
Est experta mali, cunctis quæ libera curis

Est

Est cælo meliore sui iam parte potita,
Altera dum tumulo rursum victura quiescit?
Quînam igitur iustè quæ viuæ optaueris illi,
Vitæ huius cursu doleas concessa peracto?
Quòd si non illam, tua sed tu incommoda defles,
Sic caue ne teipsum, non illam, forsan amaris,
Tute tibi aut fueris quàm Claudia charior ipse,
Quem tua dāna magis, quàm illius cōmoda tangant!
Nec te ideò lugere veto, quòd Mortis imago
Exertâ ceu voce iubet, firmántque piorum,
Ipsiúsque adeò perfecti exempla Magistri.
Nec gerit ille hominis pectus, qui vincula veræ
Prorsus amicitiæ, nedum quæ numinis ipsa
Legitimi constricta manu sunt fœdera lecti,
Luminibus siccis abrumpi posse putarit.
Et certè quantò est multis pretiosius istud
Coniugij donum verè cæleste beati,
Certius est tantò diuini pignus amoris,
Dissolui quod vix sine vulnere poßit acerbo:
Siue suos Deus exploret, seu vindice dextra
Donorum indignos sic vlciscatur abusus.
His doctus monitis, sic attamen ipse dolebis,
Beza, quidem, at certa ratione, modóque dolebis,
Et tua dispicies deinceps quid postulet ætas.
Hæc ille: admonitu cuius meliora secutus
Feci, quod te etiam forsan fecisse iuuabit.

IN POETARVM NOMINE ABVTENTES.

Sylua XI.

IPse mihi doctum si dictet carmen Apollo,
Sic tamen abstrusis obscurum sensibus illud,
Vt vario abductum lectorem errore fatiget,
Hunc tandem fructu non exæquante laborem,
Excipiam inuitus Phœbi dictata magistri.
At cui vel suaui conditum nectare carmen
Pangere posse datum, puro castóque lepore
Demulcens pariter mentem lectoris & aures,
Argutum aut cuius lector miretur acumen:
Vel qui grande sonans, secum super astra legentem
Attollat, cœlíque beet velut arce receptum:
Vel qui non fatuo teretes sale defricet aures,
Et cieat torpens moderato ardore palatum:
Illimis semper, puráque argenteus vnda,
Nec scopulis horrens vllis, ceu voluitur amnis,
Inuitans, satiánsque sitim potantis abundè:
Hic mihi sit verus, tum re, tum nomine, vates.
Vos autem Aonidum sanctum temerare pudorem,
Et puros ausi latices turbare petulci,
Ingrati procul ite, procul: vel crimina faßi,
Discite vos castis & vestra dicare Camœnis.

At vos,

At vos, ô rauca ſtridentes voce cicadæ,
Vana coaxantes tumido vos gutture ranæ,
Vos fatuo elumbes vomitantes pectore verſus,
Senſa quibus nec mens, nec voces ſuggerit oeſtrum,
Quis ſacro vatum dignetur nomine ſanus?

ELEGIAE.

THEODORI BEZAE

ELEGIÆ.

In Mediocritatis laudem.

Elegia I.

NON frustra medium laudauit docta vetustas:
Nam nil laudari dignius orbis habet.
In medio posita est virtus: hinc indéque fallax
Tota sinistra via est, totáque dextra via est.
Icare, si patrem esses inter vtrumque sequutus,
Icarias nullus nomine nosset aquas.
Si medio Phaëton mansisset calle superbus,
Non esset sæua terra perusta face.
Nec lenis nimium, nec durat sæua potestas:
Quæ medium seruat, sola perennis erit.
Te nimia, ô Iuli, clementia perdidit olim:
Sæuitia occîdit te, truculente Nero.
AVgustus felix multos cur mansit in annos?
Nec facilis nimiùm, nec truculentus erat.
Vana superstitio non pacat numinis iras,
Quod media gaudet simplicitate coli.

Largus opum nullus, nullus laudatus auarus:
Magnus in his potuit qui tenuisse modum.
Antoni mensas sic vicit cœna Catonis,
Et tenuem melior fama secuta larem.
Nec gracilis structura nimis, nec crassa probatur:
Hæc spectatori displicet, illa ruit.
Vt moderata iuuant: sic ægros pharmaca multos,
Heu nimium multos, sæpius hausta necant.
Dicere plura licet multò, sed laude referri
Immodica sese non sinit ipse Modus.

T. LIVIO ET P. OVIDIO Nasoni Cœnotaphium.

Elegia II.

ECce, iterum Iani nobis rediere Calendæ:
Hei mihi, quos luctus, funera quanta ferunt!
Roma Tito quondam celebrata est maxima magno,
Est quoque Nasonis carmine dicta sui.
Quæ te, Naso, tulit, quæ te, Tite, sustulit orbi,
Inter funestos est numeranda dies.
Non adeò infelix quæ infames sanguine Cannas
Lux videt, & Latio tristia cuncta foro.
Nullum igitur munus nunc expectetis amici,
Munera temporibus sunt minùs apta malis.
Fas mihi sit patrum priscos contemnere ritus,
Fas mihi consuetas mittere iure preces.

Cernite nunc tristi ploretur vt vndique cœlo,
Mersáque demisso terra sub imbre natet.
Ecce, Venus, pullo vestita incedit amictu,
Dilaceránsque genas, dilaniánsque comas:
Et pharetræ oblitus, luctúque immersus acerbo,
Nasonis cantat carmina mœstus Amor.
Ipse suas Ianus damnátque odítque Calendas,
Et sua de fastis tollere festa parat.
Flet quoque Neptunus, flet raucisona Amphitrite,
Et patrio plorat gurgite mersa Thetys.
Pelignæ lacrymis implent rura omnia Nymphæ,
Et querulus Patauí mœnia Brenta lauat.
Túne igitur lacrymas retinebis Roma cadentes,
Nec poteris cœli questibus esse comes?
Hei mihi, quid te olim, clemens AVguste, coëgit
Tam sacrum vatis sic violare caput?
Talia non non docuit te quondam Iulius, ille
Qui dedit Italiæ sceptra secunda tibi.
Et te iam meritò clementem dicere quisquam,
Ingeniúmque potest dicere mite tibi?
Quæ nunquam AVgusti potuit lenire furorem,
Crudeles potuit flectere Musa Getas.
Namque Tomitanis exul lugetur in oris,
Nasoníque parat barbara turba rogos.
Lugete, ô miseri vates, totúmque iubete
Parnassum alternos ingeminare sonos.
Flentibus en aderit Phœbus, Pallásque fauebit,
Et peraget partes numen vtrumque suas.

Vos quoque quos cœli dignißima cura fatigat,
Ne (rogo) ne quinta quærite luce lyram.
Illa etenim lumen cœlo terrísque negabit,
Lætáque cum charo Tartara vate colet.
At vos, ô Manes, quorum nec longa vetustas,
Nobile nec delet nomen auara dies.
Vos, inquam, solos Iani gaudere Calendis,
Vos dare lætitiæ mutua signa decet.
Quippe Titum vobis lux addidit ista peremptum,
Hæc quoque Nasonis lux dedit arte frui.
Ergo occurristis Manes venientibus illis,
Totáque in amplexus infera turba ruit.
Ennius inde pater medium complexus vtrinque,
Hic, ait, est Latij gloria tota soli.
Mox Varro, & Cicero properant, tersúsque Catullus:
Mox quoque cum Nemesi, culte Tibulle, venis.
Et tu, qui dubium fecisti nomen Homeri,
Laudem cui debent, rus, pecus, arma, suam.
Quid Reges memorem priscos, fortésque Quirites,
Quoscunque exoriens Roma vetúsque dedit?
Scilicet ista Titum venerata est vndique turba,
Hannibal aspecto surgit & ipse Tito.
Vos, ô vos, Manes, æternos ducite lusus,
At nos perpetuò cura dolórque prement.
Hanc igitur lucem luctu celebrabo quotannis,
Et vacuo iniiciam thura merúmque rogo.
Hi tumulo versus deinde inscribentur inani:
Forsan & hos olim postera turba leget.

Quisquis

Quisquis ades, vacuum Nasonis cerne sepulchrum,
Quisquis ades, magni cerne sepulchra Titi:
Orphei quod precibus Plutonia regna dedere,
Hoc Titus & magnus Naso dedere sibi.

SALMONIO MACRINO IVliodunensi, Querela Peste laborantis, anno Domini M. D. LI.

Elegia III.

QVis putet in media conscribi carmina morte?
Morte tamen media carmina scripta legis.
Quod si fortè negem, res arguet ipsa negantem,
Et numeri prodent languidiore sono.
Nempe adeò est animi strictus cum corpore nodus,
Langueat istius fessus vt ille malis.
Sed licet hac morbi corpus sub mole fatiscat.
Victa nequit morbo cedere Musa tamen,
Mirum. Nam tacuit ternos quæ Musa per annos,
En domino gestit nunc moriente loqui.
Et furor hic alter, Macrini nobile nomen
Vsurpare meo quod leuis ore velim.
Tu tamen istius nobis es criminis auctor,
Tu facis vt cupiat muta Camœna loqui.
Nam moribundus ego vitæ quum fortè peractæ
Mente recordarer singula facta meæ,

Ecce, alios inter subiit Macrinus amicos,
Quos ego desertos corpore, mente colo.
Et mox, ô coniux, (Nam coniux optima nostro
Fida hæsit lateri nocte diéque comes)
Fasciculos (inquam) chartarum sedula profer,
Exilium has nobis nempe reliquit opes.
Inter amicorum moriar sic nomina felix,
Postquam inter vetitum brachia posse mori.
Paret: amicorum agnosco cum nomine dextras,
Et tremula moriens tracto, retracto manu.
Fudi etiam lacrymas, & nomine quemque vocaui:
Quinetiam chartis oscula mille dedi.
Ecce tua occurrunt nostro conscripta recenti
Exilio, at serò carmina lecta mihi.
Macrini ad nomen Phœbi exarsêre furores,
Et rediit nobis qui fuit antè calor.
Miratur factum coniux, demiror & ipse
Currere mensuris verba ligata suis.
Nempe, Macrine, tibi sunt magnæ in pectore vires,
Cúmque tuo iunctum nomine numen agit.
Hoc facit vt morbi quum pondere victus anhelet,
Et miserum Bezam pestis acerba coquat,
Beza, licèt moriens, carmen conscribat ineptum,
Rustica pro lepido munere dona tibi:
Dona tamen grati Bezæ, qui quæ dare viuus
Non potuit, moriens munera parua dedit.
Beza igitur, quid agam quæris? moriturus anhelo,
Nec queror excedens exul & ante diem.

Nil

Nil mouet exilium, nil patria, nil satis amplis
Succedens opibus quæ mihi pauperies.
Non etenim patria pauidum vllo crimine pectus
Expulit, at veræ relligionis amor:
Atque vltrò patria excedens, hæc, patria, dixi,
Christus vbi auditur, Beza, sit vna tibi.
Exiguo didicit contentus viuere, quisquis
Cœlestes toto pectore quærit opes:
Sic propero vitæ certus melioris ad astra,
Nec me spes adeò fallere certa potest.
Vos mihi, vos lacrymas soli expreßistis amici,
Et (fateor) vestri me superauit amor.
Nec tamen inuitus terras vitámque relinquo,
Sic pateant cœli limina celsa mihi:
Sed fateor quoties mentem subiistis amici,
Me quiddam humana conditione pati:
Forsan & hoc, Macrine, legens miserabile carmen,
Et quicunque tibi iunctus amicus erit,
Humanæ memores sortis tergetis ocellos,
Et quas non merui mi dabitis lacrymas.
At tibi, quisquis eris, miseri qui cruda poëtæ
Censueris fletu funera digna tuo,
Hæc postrema, precor, sit flendi causa, fluátque
Lenis inoffenso vitáque mórsque gradu.
Quod superest, opto, Bezæ quos inuidet annos,
Annis adiungat Parca, Macrine, tuis:
Vt nisi post longas charam, Macrine, Gelonin,
Cúmque illa Bezam me comitêre, moras.

IN QVINQVE CONSTANTISSIMOS CHRISTI MARTYRES, LVGDVNI CREMATOS, XVI. CAL. IVNII, ANNO DOMINI CIↃ IↃ LIII.

Elegia IV.

Mira loquar, (linguis iuuenésque senésq; fauete)
Digna canam à sera posteritate legi.
Lugduni audiſtis nimirum nobile nomen,
Quæ Planci auſpiciis mœnia ſtructa ferunt:
Hîc vbi præcipitis Rhodani ſpumantibus vndis
Lentus Arar placidi fluminis addit aquas:
Vrbem diuitiis longo iam tempore notam,
(Heu quàm diuitibus non licet eſſe piis)
Vrbs igitur raris celeberrima dotibus olim,
Impietate magis nobilitata ſua eſt.
Nec me facta patrum narrare nefanda neceſſe eſt,
Vnum pro multis ſat memorare ſcelus.
Hîc nuper Chriſti felici de grege raptas
Vna, eheu, quinas flamma vorauit oues:
Vidit & ingemuit Pietas, & fertur ab alto
Tales cana Fides ore dediſſe ſonos:
Parcite, (quid merui?) crudeles parcite flammæ,
Hoc etenim, hoc ardent viſcera noſtra rogo.
Mota videbatur (dictu mirabile) flamma,
Hoc ſibi teſtari diſplicuiſſe nefas.
Quando reluctantes crudelior ignibus ignes
Corripere inceptum turba coëgit opus.

Flamma

Flamma volat, sanctósque celer depascitur artus,
Nempe vt supplicij sit breuitate leuis.
Ignibus in medijs (mihi credite vera loquuto,
Sic faueant cœli numina dextra mihi)
Pectora Christum vnum torrentia suspirarunt,
Et Christum titubans lingua sonabat adhuc:
Quum pater ex alto charos miseratus alumnos
Hac ad se, exutos corpore, voce vocat,
Vos (ait) ô animæ, cœli germana propago,
Queis flamma in cœlum dux patefecit iter:
Eia, felices regnis succedite nostris,
Felices nostrum cingite vtrinque latus.
Sic ait, & celsa lætatus sede locauit,
Quâ mundi immensi machina tota patet.
Hinc coniuratos in Christi regna tyrannos,
Hinc Latiæ rident vímque minásque lupæ,
Hinc sua despiciunt sæuire in viscera flammam,
Materia donec deficiente cadat.
Et iam flamma mori, iam rarus in æthere fumus,
Quum sic excelsa fatur ab arce Pater.
Cernitis hos cineres? sunt nostri hæc semina regni,
Gignere phœnices hæc mihi flamma solet.
Cernitis hos fumos? sic mundi nempe furores
Quam rem cunque parent, nil nisi fumus erunt.

IN CLARISS. V. IOHANNIS Scholtzij Medici Vratislauiensis Hortum.

Elegia V.

DVm furit insanus bellis ciuilibus orbis,
Dum vacat hic bello, dum vacat ille foro,
Dum vanis sese curis plerique fatigant,
Hic sibi dum figit, figit & ille cruces:
Hic dum torpet iners, dum seruit honoribus ille,
Dum sitit in mediis tristis auarus aquis.
Quàm bene tot, Scholtzi, penè inter millia solus,
Et sapis ipse aliis, & sapis ipse tibi!
Ipse tuo spatians felix & liber in horto,
Et tua participes in bona quosque vocans:
Horto ad quem spreto migrant Helicone Camœnæ,
Quem Delphis præfert Delphicus ipse suis:
Horto qui referat paradisi exemplar Edenis,
Fabula cui campi cesserit Elysij:
Horto in quo quascunq; vagus surgénsq;, cadénsque,
Sol videt, hortenses accumulauit opes,
Horto in quo quidquid medicandis sufficit ægris,
Quidquid gratũ oculis, quidquid odore iuuat,
Postremis Medicus mundi quæsiuit ab oris,
Et medica seuit Scholtzius ipse manu,
Horto quem mundi meritò vocitemus ocellum,
Immo cui totus par nihil orbis habet.

Tu verò hortorum indigitat quem Flora parentem,
Viue rosis longùm, viue diu violis:
Sic tibi perpetuò fœcundus rideat hortus,
Quem Zephyri totum mulceat aura tepens:
Cœlestes abeas & donec serus in hortos,
Ipsa Senectutis sic tibi vernet Hyems.

CLARISSIMO VIRO IACOBO LECTIO. I. C.

Elegia VI.

AVrea pruna tuæ populatæ munera villæ
Missa mihi, gustu quàm placuêre suo,
Tam mihi displicuit tam iusti causa doloris,
Et lacrymis lacrymas addere iußit amor:
Sed quid agas? Lex est hæc sæui ferrea belli,
Quæ seruare decet perdere cuncta simul,
Interea cur nos non consolemur, amice,
Quos hîc nulla premit vindicis ira Dei?
Ecquid enim est melius quã, si volet id quoq; Numẽ,
Pro patria & vera Relligione mori?
Immo vide, si rem propiùs dispexeris omnem
Non tenuisse satis ne videare modum.
Ecquis enim poßit populatam credere villam,
Quæ Domino referat talia, pauca licèt?

Nec certè eſt, Domino quæ poma legenda reliquit,
Prædonis penitus conſcelerata manus.
Quæ verò periiſſe tibi nunc creditur arbor,
Seu tibi, ſeu patribus conſita planta tuis,
Anno (ſic ſperare libet) redeunte vireſcet,
Quinetiam duplo plura legenda dabit:
Atque vt ſucciſas credam radicitus omnes,
Militis immani ſuccubuiſſe manu,
Abſit vt è cunctis credam interiiſſe vel vnam,
Quum periiſſe ipſas quæ periêre vetes.
Non te enim Muſæ, notúſve reliquit Apollo,
Nec Charites vatem deſeruere ſuum.
Hiſpida ſed veritæ graſſantis militis ora,
Vrbanos tecum mox petiêre lares:
Et tibi dictarunt quo ploras carmine villam,
Direptáſque tui tam malè ruris opes.
Ergo queri abſentes, mi Lecti, deſine Muſas,
Ecce tuo à Beza quas petis, intus habes.

IN CLASSEM HISPANICAM ab Anglis oppressam.

Elegia VII.

VNde hæc atra maris facies? tantæ vnde procellæ?
Et pro cæruleo spuma colore tumens?
Hispanum vasto nunc gurgite mergitur agmen,
Et vix submersos æquoris vnda capit:
Sic Pharao commissa petens sacra agmina Mosi,
Factus Erythræi piscibus esca maris:
Hostis vterque Dei, sanctorum & gentis vterque:
Curribus hic multis, nauibus ille potens:
Exitio currus nauésque feruntur eodem,
Sanguinis vt sanet purior vnda sitim:
Et regredi vt posset (quoniam est aggressor vterque)
Neutri commoti Numinis ira dedit:
Sed quorsum Hispanus torrenti feruidus æstu,
Ad Boream, & niuibus littora cana fugit?
Nempe iubente Deo, totum sitientis vt orbem,
Ardorem gelidis temperet Arctos aquis.
Quinetiam ardenti mediis occurrit in vndis,
Non minùs ardescens alter & ille Draco:
Iste quidem patriæ succensus amore tuendæ,
Ille Anglas sitiens totus auarus opes.
Sic flammæ vltrices, flammas superastis auaras.
Et Deus est flammis, est quoque victor aquis:

Sic reliquas auidus mundi ſibi ſubdere gentes,
Subiicit Anglorum colla ſuperba iugo:
Et qui alios ſpreuit, vulgi fit fabula: & alta
Qui viuens petiit, nunc maris ima petit.

IANO GARNERIO, AVRELIIS improuiſa prorſus morte ſublato.

Elegia VIII.

IBat Ianus, & heu nimis ibat ſorte ſiniſtra,
Depicta cantans picta per arua lyra:
Admirabantur ſyluæ montéſque ſonantem,
Et tacitis ſtabant flumina fixa vadis.
Quum doluëre ſuas Nymphæ non currere lymphas,
Et, Nouus hic Orpheus (mox ait vna) quis eſt?
Dixit: & aduerſum in littus tranſire parantem,
In medias traxit peſſima Naias aquas.
Ille cadit, fruſtráque abſentes clamat amicos,
Hei miſero præſens tempore nullus erat.
Aſpiciunt illum ſyluæ montéſque cadentem,
Cúmq; vocãte vocãt, cúmque gemẽte gemunt.
Interea Ianus toto bibit ore procellas,
Et ſub aquas tandem pondere victus abit:
Haud aliter, canæ venit quum meta ſenectæ,
Et cecinit mœſtum mox periturus olor,

Ingratum

Ingratum prono tandem bibit ore Caystrum,
Ipse suis pereat donec alumnus aquis.
AEqua tamen superûm statuêre hanc numina mortẽ,
Morte istadignus si modò Ianus erat.
Ianus enim Nymphas (nã vates magnus) amabat,
Nympharum in gremio debuit ergo mori.

CARMEN CONTINENS LVdicram παραβολὴν Poëtarum & Monachorum, quod placuit Elegiis adiungere.

Elegia IX.

PAce mihi liceat vestra quod dicere Musæ,
Et venia magni dicere Mæonidæ,
Francisco est quiddam quo componamus Homerum,
Quo monachos credam vatibus esse pares.
Cæcus erat quondam Franciscus, cæcus Homerus,
Ille animi captus, corporis hic oculis.
Mendicus Franciscus erat, mendicus Homerus,
Et cecinit cantus pauper vterque suos.
Rhapsodis orbem miserum compleuit vterque,
Fratribus ille suis, vatibus iste suis.
Captabant primi nemorum secreta poëtæ,
Antra olim Monachis prima fuere domus,
Impleruпt Monachi desertis oppida syluis,
Quid magis est variis vatibus orbe frequens?

Nocte diéque rudit Monachus, cantátque poëta,
Et placet immodicè stultus vterque sibi.
Cuique sua est vati lasciuo Cynthia: frater
Sæpe pius dominas quattuor vnus habet.
Friget carmen aquæ potori insuaue poëtæ,
Triste canit pota frater anhelus aqua.
Accinctus cithara resonat sua carmina vates:
Sic Monachi cingit plena lagena latus,
Hunc ἄθεος furor exagitat, furor ἔνθεος illum:
Iste gerit thyrsos, & gerit ille cruces:
Victores ornat laurus myrtúsve poëtas:
Sunt Monachis tonsæ sacra corona comæ.
Denique des Monacho Musas, vatíque cucullum,
Vates & Monachus fiet vterque tibi.

IN FAMILIARVM ROMANArum stemmata edita à generosissimo Domino, & tum bonarum omnium literarum cognitione, tum virtutibus omnibus ornatissimo, Domino Richardo Strenno, Baroni Suarzeuaio.

Elegia X.

VIctricis quondam domitrix Germania Romæ,
Insolito preßit subdita colla iugo.
Nec contenta feros ferro strauisse Quirites,
Perdidit iniectis obuia quæque rogis.

Sic

Sic abiit Roma in tenues ambuſta fauillas,
Et quodcunque prius diues habebat opus.
Sic verſa in cineres (eheu miſerabile fatum)
Marmora cum cippis interiêre ſuis.
Quorum relliquias, diſiectáque fragmina paßim
Barbara calcarunt ſecla ſequuta diu:
At nunc miratur contra felicior ætas,
Erutáque immenſo grata labore legit:
Quinetiam facinus Germania damnat auorum,
Et cuperet ſæuas non habuiſſe manus:
Quæque olim fecit, nunc vulnera ſanat, vt idem,
Sit Latio medicus qui priùs hoſtis erat.
Nunc igitur tandem Germani militis iras,
Et veteres flammas, deſine, Roma, queri:
En tibi flammarum (dictu mirabile) charta,
Et gladij calamus facta nefanda luit:
Nec tibi ſæua manus tot ciues abſtulit olim,
Quot reduces offert hæc tibi docta manus:
Quot reduces offert, inquam tibi, Roma, tuíſque,
Streinius Auſtriaci gloria magna ſoli.

EPITAPHIA.

THEODORI BEZAE

EPITAPHIA.

Francisci I. Francorum Regis. P. P. Et bonarum literarum excitatoris Sacræ Memoriæ.

NOBILE, quisquis ades, Regis venerare sepulchrum,
Regis sepulchrum nobilis,
Nec pigeat mecum Francorum incommoda flere,
Dum multa paucis explico:
Corporis atque animi florentem dotibus, atque
Re facilè primum, vt nomine,
Franciscum hunc Regem vidit sors falsa, simúlque
Inuidit, vt bonis solet.
Illum igitur ficto interdum demulsit amore,
Et inclytis victoriis,
Reppulit irata interdum, vultúque minaci
Tradidit in hostium manus.
Sed nec sors illum melior sic extulit vnquam,
Vt esset immemor sui,

Nec sors vnquam animos illi sic fregit acerba,
Quin victus, illam vinceret.
Ergo suos cernens vanos sors ista labores,
Et irritos omnes dolos,
Auxilium poscit supplex à Morte: roganti
Mors paret illi protinus,
Et Regis primum è natis truculenta trucidat,
Cui tertium mox addidit.
Heu iuuenes ambos, ambos nil tale timentes,
Spem patriæ ambos & decus.
Tandem etiam, ô facinus! parta iam pace fruentem
Aggressa patrem sustulit.
Sublatum ingemuere omnes, sed præ omnibus, illæ
Illæ Camœnæ nobiles,
Hebrææ, Græcæ, & Latiæ, quas ille fouebat,
Vt filias charas pater.
Quæ nunc vt referant illi quæ præmia possunt,
Fouent vicißim mortuum.
Et (quantum in sese est) à cæca mortis opaca
Obliuione vindicant.

FRAN-

FRANCISCI, FRANCISCI Regis F. primogeniti, & Galliarum (quem vocant) Delphini, propinato apud Auenionem veneno proditoriè sublati, Memoriæ.

HVnc etiam iuuenem extinctũ, rogo, cerne viator.
Hei mihi cur viuum dicere fata vetant?
Hic est quo niti regnum debebat auitum,
Spes patriæ nuper, spes quoque prima patris,
Pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hostem
Ipse illum Mauors vidit & obstupuit,
Aggressúsque dolo, & crudelis fraude veneni,
Sustulit, heu magnis fraus bene nota viris!
Macte tamen Princeps. Nam te Mors ipsa fatetur,
Non aliter vinci quàm potuisse dolo,
Nimirum fieres princeps Pellæus vt alter,
Consimili decuit te quoque fraude mori.

CAROLI, FRANCISCI GALlorum Regis F. & Aureliorum ducis, Memoriæ.

GAllia felici felix mihi patria nuper,
Idem etiam nuper Réxque patérque fuit,
Ingenium (nisi me assentatrix turba fefellit)
Cæleste & pictis æmula forma Deis:

Iámque mihi externos ſors blanda parabat honores,
Iam poteram magni Cæſaris eſſe gener:
Quando ferox blanda pro coniuge Parca reperta eſt,
Quæ mihi pro thalamo ſterneret hũc tumulum,
Nec tam erepta mouent tamẽ hæc me commoda vitæ,
Quàm doleo abruptum nobile pacis opus.
Sed quanquam haud potui pacem componere viuus,
Quis ſcit ab interitu ſurget an ipſa meo?

FRANCISCI BORBONII Ducis Anguiennenſis, poſt inſignem aduerſus Marchionem Vaſthi in Pedemonte victoriam, in ludis Aulicis infelicißimè cæſi, Memoriæ.

QVum nuper gladios & fortem euaſeris hoſtem,
Hîc, Franciſce, iaces, nec tamen enſe iaces:
Sed nec in hoſtili potuiſti occumbere campo,
Nec fortis forti caſus ab hoſte cadis,
Sedibus at patriis belli ſimulachra cientem,
Miſſa infelici ſuſtulit arca manu,
Arca olim (credo) Stygia compacta cupreſſu,
Arca eheu quanta nobilitata nece!
Arca in qua Parcam Mauors abſconderat ipſe,
Audiit vt factis æmula facta ſuis.

Sic igitur,

Sic igitur, miserande, cadis, nec cernere longùm
Illa tua licuit parta trophæa manu.
At si nobiscum vis sors aduersa iocari,
Cur istis mors est seria mixta iocis?

GVLIELMI LANGÆI INSVbriæ Proregis, belli & pacis artibus clarissimi, Memoriæ.

LAngæus ille magnus hîc iacet, Lector,
Vnus Mineruam colere doctus & Martem,
Quo nemo melior pace vixit aut bello:
Vitæ genus habes: Mortis en genus disce,
Ætate consumpta laboribus multis,
Suis, suorúmque omnium ferè exhaustis
Bonis, in vsus Galliæ suæ, tandem
Interiit: Ergo pauper occidit, dices.
Immo locuples, cui patria debuit tantum.

ILLVSTRISS. HEROIS LVdouici Borbonij, Condæi Principis, Orthodoxarum Ecclesiarum Gallicarum, tuendæ ex ipsis Edictis Regiis incolumitatis, assertoris ad mortem vsque fortissimi, indignissimè contra iura belli cæsi, sanctissimæ & perenni Memoriæ.

Tertia pro patria repetentem prælia nuper,
Condæum Mauors vidit & obstupuit,
Nec tamen hinc contra concurrere viribus ausus,
Transfosso incautum præcipitauit equo.
Ille cadit, refugit Mauors, trepidánsque iacentis
Vix audet tremula poscere voce fidem.
Ille fidem dederat, quum latro perfidus, (eheu
Fatale hoc vulnus Gallia tota tibi!)
Vix bene surgentem, atque nihil iam tale timentem,
A tergo missa fixit vtrinque pila.
Tum verò illacrymans indigna morte perempto,
Et tantum horrescens Mars scelus ipse ferox,
Testor numen, ait, non te Mars strauit, & istud
Istud tu vulnus Gallia tota lues.
Dixerat, euentúsque istæc iam vera probauit,
Nec pudor est nondum vos sapuisse Phryges?

ILLVSTRIS HEROIS CASparis Colignij, magni Galliarum Thalaſsiarchæ, Galliæ totius Phœnicis, & veri Chriſti martyris, ſanctæ & æternæ Memoriæ.

QVæ vita huic fuerit, quæ mors, quod deinde ſepulchrum,
Si rogites, paucis hæc tria, Lector, habe.
Non ſibi, ſed Chriſto & patriæ Colignius heros
Vixit: & ô cur non nunc quoque viuit adhuc?
Proh ſcelus! hoc prohibet patriæ patria ipſa parentem
Sæuis dilanians vnguibus ipſa ſuis.
Optarunt ſepelire nefas hoc flumina tantum,
Optauit tantum flamma piare nefas:
Non paſſa eſt, lacerũ, merſum ambuſtúmq; cadauer,
Quæ tandem appendit barbara turba cruci:
Ignoti donec manibus ſublatus amici,
Caſparus hac tenui contegeretur humo.
Quiſquis es, ô referas pietatis præmia tantæ,
Nec ſinat hoc nomen fama latere diu.
At tibi quem tumulum ſic patria denegat, ecce
Conſtruxit mundi machina tota tibi.
Sic Aqua, ſic Ignis, ſic Aër, ſic quoque Tellus,
Namque parentarunt, Caſpare magne, tibi.
Illa autem (iuſta eſt quæ Numinis ira) cadauer
Ipſa ſibi, ipſa ſibi eſt patria iam tumulus.

EIDEM.

E Cruce (proh facinus) pendet Colignius heros,
Qui subiit Christi pro cruce mille cruces:
Euge igitur Caspar, decorat te dedecus ipsum,
Archetypum exemplo sic referente suum:
At cur inuerso pendes sic corpore? versa
Quòd tecum fuerint omnia iura simul.

INSIGNIS HEROINÆ, CARlottæ à Laual, magni illius Galliarum Thalassiarchæ, Casparis Colignij vxoris castissimæ, Aureliæ, feruente ciuili bello secundo, mortuæ, Memoriæ.

IN superos iterum, & veræ pietatis amantes
Distringi Regum gladios, rursúmque furentes
In sua, proh facinus! grassari vulnera Gallos,
Denique magnanimum patriæ ac pietatis amore,
Obiectare caput dubij in discrimina Martis,
Heroem, Heroina videns Carlotta maritum:
Terrenas dudum curas sordésque perosa
Carlotta, & cœli iampridem ad limen anhelans,
At potiùs moriamur, ait, tua quàm, Deus alme,
Numina calcari his oculis cernamus, inulta:
Vel te, te quæ nos genuisti Gallia quondam,
Cernamus semper miseram in tua fata ruentem.
Denique, ne, chare ô coniunx, Nec plura loquutæ,
Coniugis

Coniugis ad chari nomen, vox faucibus hæsit,
Et verba, ac vitam dolor vltimus interclusit.
Tum verò extinctæ incumbens Colignius heros,
Ergo, inquit, meliore, vale, iam sede recepta,
Téque iuuet, mens ô felix, præiisse marito.
Vos porrò exuuias curate. At, tu, Deus alme,
Qui me tam vario rerum discrimine versans,
Iam tibi deuotum sacrasti, audito precantem:
Et quidquid vitæ viduo, solíque relicto,
Nunc superest, quidquid superest mihi sanguinis, illud
Fac tibi, fac patriæ morte impendatur honesta.
Dixit, & ipse sui victor, licèt æstuet ingens
Corde dolor, iubeátque pios intendere luctus,
Publica præposuit, propriorum oblitus: & arma
Circundans humeris, socios & castra reuisit.
Illam autem exanimem Pietas, multúmque, diúq;
Ploratam, manibus tandem extulit ipsa suorum:
Elatam fleuere omnes, ditésque, inopésque,
Ingemuêre etiam Charites, luxêre Camœnæ,
Hásque illi lacrymas, istæc monumenta sacrarunt.
At tu istud quicunque leges miserabile carmen,
Non lacrymis lacrymas, non planctus planctibus addes?

ILLVSTRIS HEROINÆ, Claudiæ à Rieux, magni illius Francisci Colignij, Andelotti Domini vxoris, Memoriæ.

Corporis atq; animi quem Claudia viua maritum,
Summis beasti dotibus,
Is nunc semianimis commune tibique sibique
Hoc triste marmor consecrat:
Marmor, quod lacrymas olim iustósque dolores,
Diu loquetur posteris:
Ergo vale, & vita fruitor meliore, beatos
Inter beata cœlites.
Hæc eadem donec quæ nos mors cruda diremit,
Reddat secundò coniuges.

ORNATISS. VIRI N. BVRDINI, intimi trium Galliæ Regum à secretis, Memoriæ.

Ille ego, cui curæ, cui magna negotia Regum
Incubuere diu, tanta cui mole grauato
Posse datum (nec enim certè diuinitus ista
Tot misero collata mihi memorasse pigebit)
Sic onus integra famáque fidéque tueri,
Innocuæ vt vitæ exemplum post fata relinquam:

Heu

Heu tamen, infelix, eheu; malè prouidus adſum,
Æternæque reus pœnæ: ſi me ante tribunal,
Christe, tuum ſiſtas, horum memor antè malorum.
Ecquid enim tantæ poßim prætexere culpæ?
Res ego dum Regum, dum magna negotia curo,
Ah, quoties terræ affixo mihi ſplendor inanis
Offudit miſero tenebras, ne gaudia plenæ
Perciperem lucis! quoties turbæ atque tumultus
Oppleuêre aures, tibi ne (mi Christe) monenti
Obſequerer? quotiéſque ſequi me recta paratum,
Abripuit rapidus velut in contraria vortex,
Tranſuerſum, rurſúſque in deuia compulit Aula?
Aula omnis ſceleris mater, nutríxque nefandi!
Subſcripſit quoties multis manus iſta reluctans,
Posthabita ſuperûm miſeris mortalibus ira!
Aula apage, & procul, ô proceres Regéſque, valete,
Et quæ me bona lactaſtis tot falſa per annos.
Tu verò vna ſalus hominum, ſolúmque precanti
Perfugium, ſpretis quæcunque olím ve recénſve
Partim ignara ſuperſtitio, partim intulit audax
Impietas, & nunc eadem quoque monſtra tuentur,
Hanc animã, Christe, hanc animã ſeruato benignus,
Se, erroréſque ſuos clara tibi voce fatentem.
At vos qui turbas inter tantóſque tumultus,
Rectè homines mortem meditari, & viuere poſſe,
Creditis, vt quos deludunt inſomnia læta,
Hæc vtinam faciant aliena pericula cautos.

Talia Burdinus moriens: quem sæpe diúque
Viuum affectatus, morientem denique ridens
Aulicus, Hæc & nos olim meditabimur, (inquit)
Interea verò vitáque auláque fruamur.

NOBILISS. IVVENIS GVIlelmi Reithi, Illustris Domini, Guilelmi, Comitis, Marescalli Scotię F. oborta rixa, Geneuæ interfecti, Memoriæ.

HEu, Guilelme, quibus lacrymis tua funera, quonã
Fletu satis deplanxero?
Téne igitur pietatis amor, vitæque beatæ
Ardore pectus saucium,
Per maria & terras, Arctoæ à finibus oræ,
Geneuæ ad vrbem adduxerint,
Inflicto (heu facinus) sceleratæ vulnere dextræ,
Vitam Geneuæ vt poneres?
Insuetúmque diu pacatæ ciuibus vrbis
In te inchoaretur scelus?
Nec te animi virtus iuuit generosa, suóque
Par corpus ingens hospiti?
Et quem sperabant auctum sperare parentes,
Corporis & animi dotibus,
Lugebunt vita cassum: saltémque iacêre
Tellure patria velint?

Commissúmque

Commissúmque tibi (dicant fortaßis) alumnum
Nobis, Geneua, reddito?
At vos lugubri vobis quoque voce Geneua
Audite quid respondeat.
Testor, ait, cœli verum mihi numen amicum,
Legésque testor patrias,
Displicuit facinus, quantum iustísque piísque,
Par displicere ciuibus.
Nec culpa hic nostra sceleratus viuit inultus,
Vindicem habiturus alterum:
Quinetiam hæc santi cœlesti ex arce Guilelmo,
Vos, ô parentes, credite,
Ne me, ne iuuenem indigna ceu morte peremptum,
Auus patérque, plangite:
Cœlorum at potiùs subitò sic arce recepto,
Vterque gratulamini.
Namque piis, ferro, placida seu morte quiescant,
Iuuenes, senésve mortui,
Quæ vitam hãc miseram lux terminat, hæc simul æui
Vsum perennis inchoat.

ILLVSTRISS. PRINCIPIS
Domini EWeruini Virici, Illuſtriſſ. Principis ac Domini, Domini Arnoldi, Comitis in Bentheim, Tekleburgh & Steinfurt,&c. primogeniti Filij,& ſummę ſpei iuuenis,immatura morte Patauij ſublati, Memoriæ.

EWeruine,tui ſpes magni magna parentis,
Heu,quàm immaturo funere raptus abis!
Heu,quæ te reducem externis ſperabat ab oris,
Quàm iuſtis mœret patria nunc lacrymis!
Sed moderare parens,moderare & patria,luctum:
Ecquid enim poßis ille vel iſta queri,
Eſſe ſolo longùm ſi noluit ille ſuperſtes,
Dignatus iuuenem quem Deus ipſe polo?

NOBILISS. VIRI, PETRI A
Beza,Patris,Vezeliorum præfecti,
Memoriæ.

ERgo etiam extinctus gelidi ſub mole ſepulchri,
Pater iaces? iaces pater?
Nec mihi poſſe datum miſero ſaltem auribus iſtis,
Audire voces vltimas?
Nec licuit vitæ certum melioris ad aſtra
Votis euntem proſequi?

Non

Non ego,non,eheu,morientia lumina vidi,
Piáque compreßi manu?
Altera pro Christo dum me pia cura remordet,
Proceréſque distinent procul,
Sorbonicæ oppoſitum contra molimina gentis,
Lupæque Romanæ minas!
Eſſe pium ſic me Pietas (mirabile dictu)
Et iußit,& vetuit ſimul.
At tibi,chare parens,quæ præſens ſoluere iusta
Charus nequiuit filius,
En tandem,extincto mœſtus perſoluit,& ipſis
Seris dicat nepotibus.

CLARISS. MATRONÆ, MAriæ Burdelottæ,tum genere, tum virtute nobilis,matris dulciſſ. Memoriæ.

VIxdum viuere cœperam puellus,
Mater,viuere quando deſiiſti,
Vt te vix ego dixerim parentem,
Vix tu me quoque filium vocaris:
Hinc luſtris tibi quinque iam ſepulchri
Sub hoc pondere frigidi peractis,
Nunc primùm Aonidum fauore fretus,
Heu,mater,cineres tuos ſaluto:
Felix,ah,nimium futurus olim,
Si natus citiùs forem vel ipſe,
Vel tu mortua ſeriùs fuiſſes.

ORNATISS. VIRI, NICOLAI à Beza, Patrui, in suprema Parisiensi Curia, integerrimæ vitæ & famæ, Senatoris, Memoriæ.

MArmoreas, Lector, nullas hîc stare columnas,
Æra nec artificis viuere iussa manu,
Nec tumuli spectas surgentem ad sydera molem,
Qualia Mausoli fama sepulchra canit:
Sic studeat nigræ vitare obliuia mortis,
Qui nil, quo meliùs nobilitetur, habet.
Hic verò magni quondam pars magna Senatus,
Et nullo, aut solo Beza Catone minor,
Scilicet è tumulo famam nunc captet inanem,
Extincto viuens posthumus ipse sibi!
Fas alios igitur nomen debere sepulchro,
Beza suum contrà nobilitat tumulum.

LECTISS. FOEMINÆ, MAGdalenæ à Beza, sororis charissimæ, Memoriæ.

EHeu, Hendecasyllabi miselli,
Vos, inquam, miserabiles Phaleuci,
Vos, eheu, numeri seueriores,
Quæso, suggerite vndiquaque quidquid
Regnat tristitiæ & doloris vsquam,

Mœrorisque, molestiæque, curæ,
Ægritudinis, infacetiarum.
Nanque illa occidit, illa Magdalene,
Communi mihi quæ parente iuncta,
Fratre cum puero soror puella,
Ab annis simul educata primis,
Fratrem plus oculis suis amabat,
Et quam plus oculis meis amabam.
Ah, inquam, occidit illa Magdalene,
Qua nec ipsa venustior venustas,
Ipsa nec mage suauitas suauis,
Casta nec mage castitas vel ipsa.
Nec tantùm periit tua hæc venustas,
Et lepos, soror, omnis ille tecum,
Sed si quid cecini Elegantiarum,
Si nec illepidum, nec inuenustum,
Quidquam olim potuit meum videri,
Omne istud semel abstulêre secum,
Quæ te, te, soror, abstulêre fata.
Ite ergo procul, ite nunc Camœnæ,
Abite, obsecro, quærite otiosos,
Et queis cuncta cadunt secundiora,
Nullis se numeris, modísve Musæ,
Dolor sustinet iste contineri.
Quorsum ergo immodico modos dolori?
Quorsum istas iubeam eiulare chartas?
An vt sint lacrymæ hæ meæ perennes?
Et tu cum his lacrymis soror perennis?

CLARISS. MODIS OMNIBVS viri, Gulielmi Budæi, Græcarum literarum instauratoris,& summi ætatis nostræ ornamenti, Memoriæ.

Ὅστις Βουδαῖον γλώσσης ὀνομάσατο Φοῖβον
　　Ἀμφοτέρας, ὀρθῶς Φοῖβον ἔειπε μάλα.
Ἄξια δ' οὐκ εἶπεν. μείζων γὰρ καὶ ἠελίοιο,
　　Ὃς θνητοῖσι φάος καὶ καταδὺς παρέχει.

ORNATISS. VIRI, PETRI Stellæ, Gallorum Iurisconsultorum quondam in Academia Aureliensi, facilè Principis, & postea in Parisiensi suprema Curia Præsidis, meritorum ergô, constituti, Memoriæ.

VEro, homines inter, splendore æquique bonique,
　　Toto vt regnarent iura sacrata foro,
Stella hæc in terras cœlo migrare relicto,
　　Atque hominis faciem sumere iussa fuit:
Sumpsit: sed superas subitò remeauit ad oras,
　　Nobiscum exiguo tempore visus homo.
Et nos miramur, sublato lumine Legum,
　　Regnare in medio iurgia sola foro?

EOBANI

EOBANI HESSI, CLARISS. Germaniæ Poëtæ, Homeri Iliada & Theocriti Idyllia Latinis versibus feliciter interpretati, Memoriæ.

NVper Lethæas Eobanum venerat Hessum
Transuecturus aquas portitor ille Charon,
Multa minans, Siculi calamos impune poëtæ,
Mæonidæque auso surripuisse tubam:
Quinetiam media vates iam puppe sedebat,
Quum prohibens nautam pergere Mercurius,
Ne sæuito, senex, inquit, sibi vindicat istum,
Istum, inquam, superûm turba beata, sibi.
Nam qui aliis potuit vitam producere, certè
Infera iuris in hunc obtinet aula nihil.

FRANCISCI PORTI, CRETensis, suæ, id est, Græcæ linguæ, in Academia Geneuensi Professoris clariss. & amici summi, Memoriæ.

CRetensem patria Portum, non moribus: oras
Traxerat in Venetas quem pietatis amor:
Nec satis in Venetis nactum feliciter oris,
Quærere suadebat quod pietatis amor:
Hospitio profugum excepit, fouítque Geneua:
Exulibus portus tutus, & ora piis.

Nec solum excepit, sed & illum hinc inde sequutas,
Et Porti assiduas Pieridas comites:
Exuuias cuius matura ætate sepulti,
Hoc portu manibus composuêre suis,
Pars autem melior portu meliore potita.
Quæ Pietas illum quærere iussit, habet.

MELIORIS VOLMARII: patria Rotuillensis, viri spectatiss. tum pietatis, tum doctrinæ, præceptoris perpetua memoria colendi, & Margaritæ ipsius coniugis: vno eodémque die fato functorum, & eodem tumulo conditorum, Memoriæ.

COniugij exemplum rarum certúmque beati
Spectate cuncti coniuges:
Vna dies nobis Meliorem sustulit, vna
Et Margaritam sustulit:
Sic vno quos vita thoro coniunxerat, vno
Mors vna tumulo condidit:
Vna ambos donec reddat lux vnius olim
Beatitatis compotes.

IISDEM.

QVum tumulo lateat Melior Volmarius isto,
Cui Margarita adest comes,
Est illi cur inuideas, Mausole, diúque
Celebrata Pyramidum strues.
Namque nihil melius Meliore, nec India quidquam
Fert Margarita carius.

SIMONIS GRYNÆI, MAGNI cognomen in omni eruditionis genere adepti, bonarum artium in Academia Basiliensi Professoris, Memoriæ.

ECquid ad extincti Grynæi funera, Nymphæ,
Tingitis imbre genas largo, Rhenúmq; per omnem
Turbatæ, magno repletis littora planctu?
Ecquid ad extincti Grynæi funera, Phœbe,
Sublatum esse gemis, quem par tibi cura sodalem
Fecerat, & simile adiunctum cognomen vtrique?
Ecquid nunc iaculatur aquas nimbosus Orion?
Et madidam fundit lacrymosus Aquarius vrnam?
Cæteráque obscuro radiantia sydera cœlo
Illustres tingunt nigra ferrugine vultus?
Ecquid ad extincti Grynæi funera, Vates
Deiecti mœrore oculos, lacrymantia verba,
Et mœsto alternos trahitis de pectore versus?
O rerum sortes variæ, properatáque doctis
Semper fata viris, interruptíque labores!
Nunc verò quum te plangant infráque supráque
Omnia, tu Bezæ, Grynæe, indictus abibis?
Sancti, immo, ô Manes, ô mens super æthera pridem
Vecta, pium, quæso, à nobis hoc accipe carmen,
Sic sibi Grynæum exceptum gratetur Olympus.

ΕἸΣ ῬΩΒΕΡΤΟΝ ΤΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ.

Τὰς πολ' Ἰουδαίης τε καὶ Ἑλλάδος, Αὐσονίης τε
(Φεῦ, φεῦ,) Ἀονίδας δεῖν' ἀπελαυνομένας,
Λουκέτι' ἐν μέσσῃ Στεφανὸς ξεινίσσατο δῖος,
Ὁ Στεφανὸς, πάντων χαλκογράφων στέφανος.
Εἰσόκε μισοκάλων γυναῖος πλήθεσιν ἀνδρῶν
Πάμπολλ' ἀθλητὴς ἀντιπαλαίσας ἔτη,
Λουκετίαν μιαρὰν ἱερῆς ἤλλαξε Γενεύης,
Ἀλλοδαπῆς γαίας γαῖαν ἀμείψας ἑλών.
Κἀκεῖ χαλκοβατῆ κούραις δόμον ἐννέα δείμας,
Εἰς μακάρων τελέως ὄλβιος ἧκε δόμοις.
Αὐτὰρ ἀποπταμένου πνεῦμα ξείνοιο λαβοῦσαι,
Πλειῶσαι τ' ἰδίοις δάκρυσιν Ἀονίδες,
Ἐννέα τ' ἀμφὶ νέκυν ξένον ἤματα κωκύσασαι,
Τῇ δεκάτῃ χλοερῷ θάψαν ἐνὶ πεδίῳ.
Ὥστ' ἀμάραντον ἀεὶ, καὶ πάντα ἐς ἤματα ζῶντα,
Χαλκογράφων θάλλειν τὸν Στεφανὸν στέφανον.

IOANNIS

IOANNIS QVELINI SODAlis charissimi, Memoriæ.

ILle, Calliope, Quelinus ille,
Et tuus simul & meus Quelinus,
Ille, inquam, in media senex iuuenta,
Aquis interiit miser sub illis,
Non quas fonte tuo hauserat, nec illis
Quas secum fluuij trahunt sonantes,
Sed quas, dum vigiles terit lucernas,
Collectas aluit scelestus hydrops.
Ergo sic periit tibi Quelinus?
Ergo sic periit mihi Quelinus?
Immo hunc, Calliope, ambo lugeamus,
Sic illum vt sub aquis malis peremptum,
Seruemus lacrymis aquisque nostris.

IOANNIS DAMPETRI, Monialium apud Magdalenam Aureliæ Rectori, poëtarum in scribendis Hendecasyllabis facilè Principis, Memoriæ.

CLausus cœnobio latebat olim,
Ille Dampetrus optimus virorum,
Princépsque Hendecasyllabωn poëta,
Et clausus pariter latebat idem

Mole corporea, haud quidem, (fatemur)
Obesa nimis ac tenebricosa,
Verùm corporea: ac proinde tali
Vt diuinum animum velut quibusdam
Nexum compedibus teneret arctis.
At nunc cœnobiique corporisque
Vinclis Dampetrus exolutus exit,
Doctorúmque volat per ora liber:
Qui tamen moriens, suis amicis
Heu, quot millia lacrymationum,
Heu, quot attulit anxios dolores!
Non ergo occidit ipse (quod putaram)
Occîdit potiùs suos amicos.

CATHARINÆ TEXEÆ,
Virgini Aureliensi lectissimæ,
Memoriæ.

ISto quid iaceat loco sepultum,
Forsan scire cupis, benigne Lector,
Et hoc dicere perlibenter optem:
Sed quo nomine debeat vocari,
Quidquid hoc tumulo iacet sepultum
Posse dicere, vix puto sagacem
Vllum, & quamlibet omnium peritum.
Nam si ex corpore sexus æstimetur,
Certè virgo latet sepulchro in isto,
At quânam ratione nuncupari

Poßit fœmina, quam timore nemo
Turbatam nimio, aut dolore vidit?
Nemo prosperiore sorte abuti?
Loqui nemo, vbi fœminæ tacendum?
Nemo, quum decuit loqui, tacere?
Choros nemo sequi parum pudicos?
Nemo ornare comam parum pudenter?
Nemo accersere pharmacis colores?
Hinc vibrare oculos, & inde, nemo?
Nemo verba loqui petulca sensit?
Ergo vir fuit. At virum vocare
Qua fas sit ratione, cui virilis
Illa corporis est negata forma?
Ergo vtrumque fuit. Fuisse verò
Cur vtrumque putem, quod esse neutrum
Probatum satis est, supérque nobis?
Diua ergo fuit, ipsa nempe Pallas,
Quæ quum fœmina sit, tamen virili
Intus est animo, vt ferunt Poëtæ.
Sed est nota satis cruenta Pallas,
Fictorúmque Deûm libido turpis.
Ergo, quid superest nisi vt putemus
Quiddam hoc in tumulo iacere, quod sit
Fœmina, atque viro, Deáque maius?

IOANNIS TAGAVTII, PARIsiensis, Poëtæ insignis, Mathematicarum disciplinarum doctiss. in Academia Lausanensi, ac deinceps Geneuensi, Professoris: in ipso ætatis flore mortui, Memoriæ.

Pondere, mensura, numero, vis Numinis illa
Quæcunque construxit potens,
Appendens, mensus, numerans infráque supráque,
Hîc qui iacet Tagautius:
Haudquaquam interiit nobis lugendus, amici.
Sed vincla soluens corporis,
Hinc abiit forsan cœli post concaua, cœli
Noscere paratus extima:
Quæ quum mensuræ, numerorum, & ponderis omnis,
Creata sint expertia,
Scilicet ille suam noscendi cuncta reperto
Quod prorsus expleret sitim,
Corporis atque animi fruitur nunc pace, relictis
Ponderibus, abacis, circinis.

CLARIS.

CLARISS. VIRI, IOANNIS Sambuci, Pannonij, vetustorum plurimorum scriptorum assertoris, Memoriæ.

DVm ciet obscuro Graïas Latiásque Camœnas
Obliuionis è specu,
Sambucus, patriæ lumen, natúsque beando
Nostro beatus seculo,
Corporis exuuiis spoliatum sustulit illum
Mortalibus Mors inuidens.
Sed quid si potiùs moriens Mortem ipse peremit,
Quam vicit in tot mortuis?

CLARISS. VIRI, IOANNIS Cratonis, omnium liberalium artium cognitione celeberrimi, trium ordine Cæsarum Imperatorum Archiatri, amici singularis, Memoriæ.

HInc sibi Rhetorice totis facunda Cratonem
Asserebat viribus:
Inde sibi velut è gremio diuina Mathesis,
Clamitabat eripi:
Cæsaribus contra esse suum Medicina probabat,
Freta magnis testibus.
Et dubium certamen erat: quod sic Deus ipse
Arbiter definiit,

Vos, ait, vt viuus coluit Crato, nobile nomen
Sic fouete mortui.
Ipse mihi verò quum sese vósque sacrarit,
Totus esto nunc meus.
Dixit, & ille volans, terra cunctísque relictis,
Ad Deum sic transiit.

CLARISS. VIRI, CHRISTOphori Herdesſiani, I.C. Inclytæ Norimbergensis R.P. à Consiliis, veræ Religionis Aſſertoris fortiſſ. & amici singularis, Memoriæ.

COnari innumeras numeris comprendere laudes,
Merus suaserit furor,
Attamen, ecce, tua Bezam obmutescere morte,
Nec veritas, nec amor sinit:
Quidnam igitur nunc Beza tuus? quod scilicet illum
Et veritas & amor iubet:
Nec tamen innumeras numeris comprendere laudes
Conatur insanus tuas.
Innumeris verùm lacrymis tua funera plangit,
Innumera quæ trahunt mala.
Nam qua te Pietas simul & Doctrina corona
Ornauerat superstitem,
Quàm vereor tumulo obruerit Germania tecum,
Herdesſiane, quo iaces.

HVBERTI

HVBERTI LANGVETI, Ædui, celebre pietatis, doctrinæ, & prudentiæ nomen suis meritis apud Illustr. Germaniæ Principes adepti, amici singularis, Memoriæ.

Langueti, Lector, Germanis nomen in oris
Si quando audisti, fuerim vir qualis habeto.
AEdua me genuit tellus, Germania fouit,
Isto quinetiam extinctum dignata sepulchro.
Si rogitas forsan patria cur tam procul alma,
Hîc iaceam, pepulit certè me patria nunquam,
Linquere nec patriam vitium, vel iussit egestas,
Sed Pietatis amor, sed magni fama Philippi,
Saxonicas haud inuitum perduxit in oras:
Hîc vbi (Christe tui, fateor, quod muneris omne est)
Principibus, doctisque viris Languetus honestè
Transacta gratus vita, nec inutilis illi
Quæ me aluit terræ, placidè post fata quiesco.

PETRI LAMONII, CAROLI Parisiensis Senatoris F. ingenio ab ipsa pueritia insignis, doctrina supra captum adolescentiæ, ipsis exteris Italis admirabilis, Memoriæ.

LAmonij exuuiæ extincti florente iuuenta,
Viator, hîc sunt conditæ:
Quem, truculenta licèt, fleuit miserata cadentem,
His ipsa Parca vocibus,
Testor numen (ait) iuuenili in corpore cana
Tua me fefellit indoles,
Et te scribentem, te demirata loquentem,
AEtate credidi senem.
Ille autem vitæ certus melioris, & inter
Iam iam locandus sydera,
Tolle moras, inquit. Nam cui iuueníve, seníve,
Cœlum placet, sordit solum.

ORNATISS. MATRONÆ Kunegundis. N. in gemellorum partu mortuæ, Memoriæ.

QVæ tibi debebam viuens solatia viuo,
Marite, persolui tibi:
Quinetiam moriens vno tibi bina relinquo
Partu, marite pignora:

Scilicet

Scilicet vt quo me viuam es complexus amore,
Hoc prosequaris mortuam:
Sic moriens Kunegundis ait, quámque ipsa reliquit
Vitam, gemellis contulit.

N. CANÆÆ, N. CANÆI, ornatiss. viri F. simul natæ & mortuæ, Memoriæ.

HIc Canæa sita est cognomine, nomine nullo,
Cuius penè eadem vitáque mórsque fuit,
Quòd si sanctorum meritò mors esse beata
Creditur, atque piæ sancta propago domus,
Sanctorum certè tantò felicior est sors,
Quantò est illorum mors properata magis,
Quânam igitur tandem iusta ratione fleatur,
Quàm citò nata solo, tam citò iuncta polo?

CONRADI GESNERI TIGVrini, Doctoris Medici, verè πολυίστορος, & omnis animantium ac plantarum historiæ diligentiss. perscrutatoris Memoriæ, Carmen ἐπιμικτόν.

TE cœlo mutante solum, Gesnere, volucres
Quæcunque pennis aëre permeant,
Repleuêre modis omnia tristibus,
Migrantem amicum extrema supra sydera

Omnes cum sonitu graui insequutæ.
Te cœlo mutante solum, Gesnere, feroces
Gemunt in antris belluæ,
Et stabulis pecudes relictis.
Te feri gemunt colubri, sibilis lugubribus,
Imísque quotquot sub cauernis
Occulta terrarum colunt,
Et flaccidum plantæ virentes,
Et pallidum flores nitentes,
Et marcidum arbores comantes.
Regna te per humida,
Et belluosus qua ferit vndique
Reboantia littora Pontus,
Planctu sonoro deflet Amphitrite,
Et liquidis sub aquis pisces natantes mutitant.
Natura te omnis, denique, vt fidũ suorũ antistitẽ
Plorat sacrorum, muta
Futura deinceps, ni loquaris mortuus.
Hæc inter, tibi turbatus, Gesnere, parentat
Beza tuus, vati vates, & amicus amico,
His incompositis innumeris numeris.

D. MAR-

D. MARTINI LVTHERI, MAgni, diuinitus ad Ecclesiæ Christianæ, aduersus Antichristum Romanum instaurandæ, assertionem missi, Memoriæ.

ROma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantò isto maior Lutherus, maior & illa,
Illum illámque vno qui domuit calamo?
I nunc, Alcidem memorato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

D. PHILIPPI MELANCHTHONIS, communis, tum Sacrarum, tum humanarum literarum suo seculo parentis, & innocentiss. vitæ exempli singularis, Memoriæ.

ET tu igitur, tandem tumuli sub mole repostus,
Die, ô Philippe, nunc iaces,
Et quam inuidisti viuus tibi tute quietem
Cunctis quietem dum paras,
Ipsa tibi cura, & sancti peperêre labores,
Charum, ô bonis cunctis caput?
At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Vt lilia inter & rosas,

Quo nil candidius fuit & nil ſuauius vnquam,
Recubet Melanchthon molliter:
Et grauis huic vt ſis caueas iuueníſve ſenéxve,
Qui nemini vixit grauis.

EIDEM.

CVi niueus toto regnabat pectore candor,
Vnum cui cœlum cura, labórque fuit,
Num rogitas qua ſit dictus ratione Melanchthon?
Nempe mare Euxinum qua ratione vocant.

HVLDRICI ZVINGLII, ALterius diuinitus miſsi diuinæ veritatis aſſertoris, Tigurini Eccleſiaſtæ, pro patria cæſi, pro Chriſti Euangelio cremati, Memoriæ.

ZVinglius arderet gemino quum ſanctus amore,
Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ,
His ſeſe in ſolidum deuouerat ipſe duobus,
Nempe Deo in primis, deinde etiam patriæ.
Quàm bene perſoluit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

MARTINI BVCERI, SVMMI in Argentinenſi Eccleſia Theologi, & acerrimi diuinæ veritatis, in plurimis Germaniæ comitiis aſſertoris, ac tandem poſt ipſam mortem, barbarè à barbaris, Chriſti odio, cremati, Memoriæ.

NAtales, Bucere, tuos Germania iactat,
Natalibus felix tuis,
Quis verò & quantus fueris tua ſcripta loquuntur,
Ad littus orbis vltimum.
De vita ſiquis rogitet, Germania dicet
Inuita Bucerum expuli.
Aſt ego ſic pulſum (pia dixerit Anglia) foui,
Tandémque texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane) ſepulchro
Flammis cremauit erutum.
Fallor ego, totus terrenæ fæcis an expers,
Bucere, cœlum ſic tenes?

IOANNIS OECOLAMPADII, Baſilienſis Eccleſiæ beati inſtauratoris, ſummæ tum doctrinæ, tum pietatis viri, Memoriæ.

OECOlampadius ſerena nuper
Lampas, æde ſacra Dei coruſcans,
Qualis limpidiórve, puriórve,

Vix vllis micuit lucerna ſeclis,
En mortis iacet obrutus tenebris:
At vobis malè ſit malæ tenebræ
Lucis munere quæ breui fruentes,
Eheu, nos miſeros homunciones
Nocte ſic premitis tenebricoſa.
Sed bene hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quòd dum ipſam petitis, malæ, lucernam,
Laternam tamen obruiſtis vnam:
Laterna vt lateat quidem hîc ſepulta,
Ipſa ſed magis emicet lucerna.

HENRICI BVLLINGERI,
Eccleſiaſtæ Tigurini ſpectatiſſ. doctrinæ, pietatis, & eximij candoris viri, Memoriæ.

DOctrina ſi interire, ſi Pietas mori,
Occidere ſi candor poteſt:
Doctrina, Pietas, Candor, hoc tumulo iacent,
Henrice, tecum condita.
Mori ſed abſit illa poſſe dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos.
Immo interire forſan illa ſi queant
Subiréque tumuli ſpecum,
Tu tu, illa doctis, tu piis, tu candidis,
Et non mori certiſſimis,

Edaci

Edaci ab ipsa morte chartis asseras,
Ipso approbante Numine.
Fœdus beatum! mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis:
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuat aliis & sibi?

PETRI MARTYRIS, VERMIlij Florentini, summi in Germania, Anglia, & Heluetia Theologi, & viri planè incomparabilis, Memoriæ.

THuscia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr, quem extinctum nunc tegit Heluetia,
Dicere quæ si vera volent, re & nomine dicent;
Hic fidus Christi, credite, μάρτυς erat.

WOLFGANGI MVSCVLI: Theologi merito suo celeberrimi, Bernensis Ecclesiæ Doctoris, Memoriæ.

MAgno hæc funera Musculo parantem,
Magnum dicere musculum Latinis
Quum sit auribus insolens, cachinno
Num Bezam excipies viator? Atqui
Rideas licet omnibus cachinnis,

Magnum dicere Musculum iuuabit,
Magni ad funera Musculi iuuabit,
Lacrymantibus omnibus Phaleucis,
Responsantibus omnibus Camœnis,
Eheu, Muscule magne, personare.
Quem si serius hinc abire paulò
Siuisset bene cœpta finientem,
Vitæ immensus amor beatioris:
Iacêres merita perempta morte,
Quæ nunc ingluuiem horridam sacrati
Christo pasceris (heu) gregis cruore,
Romano Lupa desidens in antro,
Orbis magnanimos vorans Monarchas.
Magnum & dicere Musculum pudebit?

RODOLPHI GVALTERI, ET Ludouici Lauateri, Ecclesiæ Tigurinæ sapientissimorum Pastorum, & doctissimis scriptis de Christiana Ecclesia optimè meritorum, Memoriæ.

Semper ego infelix lugenda in funera fratrum,
Viuam superstes omnibus?
Et quos morte sequi morientes non datur vna,
Moriar in illis millies?
Sic me quantumuis annis, Lauatere, priorem
Heu morte præteris cita!

Sic me,

Sic me, idem tecum in lucem quem protulit annus,
Gualtere magne deſeris?
Heu quales, quantíque viri! tenebríſque ſepulta
Vah, quanta mundi lumina.
Sed poſtquam infenſi ingratis mortalibus ira
Sic iuſta Numinis iubet,
Qui ſanctè in terris mecum vixiſtis, amici,
Cœlo priores viuite.
Hæc eadem donec quæ nos nunc ſeparat, vnâ
Inuita mors reuinciat.

RODOLPHI GVALTERI,
Rodolphi F. vnici, immatura morte ſublati, Memoriæ.

AGricolæ qualis felici conſita dextra,
Pingui culta ſolo, mox ſeſe ſurrigit arbos,
Et patulos primis iam ramos induit annis:
Quam circum reſidens exultat ruſtica pubes,
Fructibus admirans iam fœtam, & tegminis vmbra
Tutantem Solis pecudes torrentis ab æſtu:
Quam ſi forte ruens vaſto malus impete turbo
Præcipitem dedit, & radicibus eruit imis,
Illacrymans illam qui ſeuerat antè colonus
Reſpicit, abſentémque homines pecudéſque requirũt:
Talis (ſi fas eſt paruis componere magna)
Ille tuus Gualterus erat, Gualtere: parente

Digna ſuo ſoboles: qui numine natus amico,
Excultúſque tibi teneris feliciter annis,
Ingenio tantum referebat & ore parentem:
Spes patriæ iam magna ſuæ, diuina tonantis
Ipſius nuper quum penderet ab ore.
Quem nimis (ah) nobis properata morte peremptum
Iure gemens tecum nunc patria mœſta requirit.
Nóſque adeò, tecum damna hæc communia faſſi,
Proſequimur lacrymis pariter communibus omnes.
Verùm fallor ego: nec enim ceu fulminis ictu
Aut vi alia maiore ruit radicitus arbor,
Et nunquam reditura iacet: ſic improba nobis
Gualterum, Gualtere, tuum mors ſuſtulit: immo
Vt tranſlata nouo creſcit fœcundior aruo
Planta, tibi ſata ſic proles, Gualtere, nouella
Eſt euulſa ſolo ſimul, & ſimul inſita cœlo:
Pulchrior ô quanto, quanto formoſior illa,
Quam tu natiuo ſperaſti cernere rure
Frondentem, ramíſque procul ſpectare comantem.
Plus igitur iuuenis moueant nos tanta beati
Commoda, quàm quæ nos incõmoda cuncta fatigant:
Solentúrque tuos illius gaudia luctus.
Nec tu, grex, lacrymis indulge: namque ſuperſtes
Ecce parens Gualterus adhuc tibi ſufficit vmbras,
Quem circum ramis nemus vndique ſurgit opacum,
Quale ſibi totus meritò deſideret orbis.

ANDREAE

ANDREÆ HYPERII BELGÆ,
Marpurgensis Ecclesiæ Doctiss. & orthodoxi Doctoris, Memoriæ.

NOn Hyperis dedit hoc (Hyperi) tibi patria quōdā
Quod superis potiùs ducis cognomen ab oris:
Nec tibi sors olim tribuit temeraria nomen
Andreæ: at ipsa suo te ornauit nomine Virtus.
Hoc sancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat, superûm curæ cœlóque sacrata.
Ecquis enim meliùs, quísnam te fortiùs vno
Tarpeia aggressus depellere rupe tyrannum?
Certiùs aut quisnam erranti per deuia turbæ
Commonstrauit iter superas quod ducit in arces?
Macte igitur virtute, Hyperi, quem nec fera totum
Mors domuit, totum seruant nec claustra sepulchri,
Quin superi meliore fouent iam parte receptum:
Altera dum, tumulo quæ nunc pars clausa, quiescit,
Examinísque licet iam cœli ad limen anhelat,
Euigilet felix: & quod tu diceris, illud
Euadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

IOANNIS HALLERI, BERnensis, verè fidi Ecclesiastæ, Memoriæ.

SI quàm sana fuit tibi mens, Hallere, fuissent
Tam sana in vegeto corpore membra tibi:

Te frueretur adhuc, quæ te nunc, Berna, requirit,
Et tu plebe tua nunc fruereris adhuc:
Tu tamen es vita felix meliore potitus,
Infirmi exutis corporis exuuiis.
Est etiam vnde suum soletur, Berna, dolorem,
Orba suo quamuis iure parente gemat.
Nam quæ in te vitæ exemplum duntaxat habebat,
Exemplum sanctæ nunc quoque mortis habet.

ZACHARIÆ VRSINI, SILESII, viri in omni disciplinarum genere exercitatiss. Theologi summi, vitæ inculpatæ, iudicio admirabili, laboris indefessi, chariss. in Christo fratris, Memoriæ.

VRsinum dederas vnum, Deus optime, nobis,
Sufficeret nobis tua qui penè omnia solus:
Siue homines ille humana ratione doceret,
Artibus excultus cunctis: siue entheus illum
Spiritus arcanos depromere pectore sensus
Iusserat: & sacri quatientem lampada verbi,
Discutere errorum nebulas: cuneósque ruentum,
Diuinis fretum telis, hinc inde luporum
Rumpere, tutantem Christi diuinitus agnos.
Ergo quid, Vrsino properata morte perempto,
Crediderim superesse gregi, qui sicut in vno
Cuncta habuit quondam, sic cuncta amisit in vno?

Sic ego, multa gemens, & planctibus aëra cõplens:
Quum Deus excelsa miseratus ab arce gementem,
Pone modum lacrymis, inquit, Vobísque sibíque
Viuit, qui vitam impendit vobísque, mihíque.
Ergo, Vrsine, absit, nobísque, tibíque, Deóque
Vt te viuentem, deinceps ceu lumine cassum
Ploremus stulti: quem tot tantíque labores
Æternum æternæ consecrauere saluti:
Et quibus hosce lupos tecum victricibus armis
Fregimus, in media nobis quum morte relinquas,
Nempe etiam nobis verè post funera viuis,
Et viues, donec cœlorum regia tecum
Felici excipiat functos certamine cunctos.

CASPARIS PEVCERI MEMOriæ, Casparis illius Peuceri, clariss. virtutibus omnibus viri, F. magni illius Philippi Melanchthonis N.

PEuceros habuit nuper Germania binos,
Vnum patrem, natum alterum:
Dignum isto patrem nato, natúmque parente:
Vtrumque patriæ decus:
Quorum seruatum nobis diuinitus illum,
Amant boni, timent mali.
Hunc verò nimis, ah, festina morte peremptum
Cum patre nunc deflent boni.

At tu Peuceris quam dura hæc fata duobus
Frui vetant, Germania,
Si sapis, hunc serua, quo saluo diues habebis
Quod orbis inuideat tibi.

IOSIÆ SIMLERI TIGVRINI, eruditiss. Theologi, & renouatorum, tum Arianorum, tum Eutychianorum fortiss. inter alios domitoris, Memoriæ.

SImlere, mi Simlere, quo superstite
Tot mortui reuixerant.
Quos ira nobis Numinis tam pauculis
Ademit annis plurimos,
Simlere, quem tremuit renatus Arrius,
Tremuit renatus Eutyches,
Vastator ille Poloniæ, hic Germaniæ,
Læsi flagella Numinis.
Heu, subita & immatura te mors auferens,
Quàm multa tecum sustulit!
Lamenta amicis quanta, quot iustissimos
Secum dolores attulit!
Quos inter, ecce Beza quondam haud vltimus
His irrigat te lacrymis.

CASPA-

CASPARIS OLEVIANI, TREuirensis Theologi, doctrina, pietate, innocentia vitæ insignis, fratris coniunctiss. Memoriæ.

EHeu, quibus suspiriis,
Eheu, quibus te lacrymis,
Oleuiane, planxero?
Nam dotibus pares tuis,
Doloribus pares meis,
Questus modósque flebiles,
Non pectus hoc suggesserit,
Non istud os effuderit.
Non ergo Beza te tuus,
Oleuiane, planxerit?
Spirabit immo quandiu
Te Beza flebit tamdiu,
Mors ipsa donec, quæ mihi
Oleuianum sustulit,
Oleuiano me meo
Inuita iungat redditum.
Cœlestem vt intra regiam,
(Qua iam tui parte altera,
Christo potitus es duce,
Et Beza, quò nunc gestiens
Magnis anhelat paßibus,)
Certis vterque iubilis,
Mergamus hæc suspiria,
Perennibúsque gaudiis
Has obruamus lacrymas.

IOANNIS CALVINI, GENEuensis Ecclesiastæ, solidissimæ eruditionis, iudicij acutissimi, indefessi in vera pietate longè latéque propaganda athletæ, innocentiss. vitæ simplicitate, in ipsa quoque morte & sepultura, testata laudatissimi, Memoriæ.

ROmæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali:
Ipsa à quo potuit Virtutem discere Virtus,
Cur adeò exiguo, ignotóque in cespite clausus
Caluinus lateat rogas?
Caluinum aßiduè comitata modestia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui inuidere cuncta poßint marmora!

EIDEM.

TE viuo, Caluine, fuit mihi viuere dulce,
Hei, quàm dulce foret, te moriente, mori!
Et tamen est, fateor, grata hoc mihi nomine vita,
Quòd tibi quas fundam sufficiat lacrymas.
Viue igitur, Beza, in luctus, tibi vt vsque perennes
Caluini in tumulum vita ministret aquas:
Iunctura absenti donec te rursus amico,
Mors pariter vitam finiet & lacrymas.

EX MVL-

EX MVLTIS IN EVNDEM

Hebræis, Græcis, Latinis, Gallicis, magnorum virorum in eundem ſcriptis Epitaphiis, hæc paucula viſum eſt ſeligere quæ hic apponeremus.

ANTONII CEVALLERII,

Sanctæ linguæ in Academia Geneuenſi Profeſſoris.

הקִניה הזאת בּמות הרב יוחנן קל״וינוס
קונן תלמידו הצעיר הִמְכונה קול״ר״יאוס

הִכְנִיס בֶּן־נוּן הַנָּגִיד בְּיָמָיו
כְּבֵשׁ חֵלֶק הַזְּהִיר בְּטֶרֶם סָף ;
כְּאֵל עָשָׂה קַלְוִינוּס לְעַמָּיו
וְכֵן רוּחוֹ אֶל־אֵל רוּחוֹת נֶאֱסָף

ἙΡΡΙΚΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ.

ΠΑππολάστραι, τί τόσον τούτου μόρῳ εὐχετάασθε,
Ὡς περιφυγόντες ἅπαξ οὐδὲ παλαισμοσύνην;
Κεῖται ὃς πληγαῖς ὑμᾶς κατέκοψε παλαιστής,
Πολλάκι παμπόλλαις, παππολάστραι σκύλακες·

Ἀλλ' οὔπω τούτου θνόεντα παλαίσματα κεῖται,
Οἷς ἐπὶ τόσσ' ὑμῖν ἀντεπάλαισεν ἔτη.
Ὅπλα μένει τούτου καὶ ἀπνόου ἔμπνοα ἔμπης,
Ἀΐδιόν τε μένει ἔμπνοα ὄντα χρόνον.

ΦΛΩΡΕΝΤΙ'ΝΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥ῀
ᾠδὴ ἐπιτάφιος εἰς τὸν αὐτόν.

Στροφὴ α.

Πολυκάμπτου Πινδάροιο
Ποικίλων ὕμνων ὀπαδὲ,
Σύνδικον μοισᾶν κτέανον,
Στεφάνων χλιδαῖς καλῶν
Ἐμπρεπὲς ὦ χρυσέα φόρμιγξ ἀειδε,
Ἦ ῥά σ' ἐγὼ κατελέγξω, εἰ μιματὴς
Δαιδαλοπλόκων γένωμαι
Σὸν ὀάρον, θεοδινὲς ὕδωρ
Ἀντλέων ἱερᾶς ἐκ Δίρκης,
Ἄφθιτον κωμάσαι ἄνδρα.

Ἀντιστροφὴ α.

Ἄξιος δ' ἀνὴρ μεμίχθαι
Εὐλόγοις εὐδοξίαισι,
Εὐκλεὴς ὡς ἀθλοφόρος
Ἐν ἀγῶσιν ἅρματος.
Ἀλλά γ' ἀμηχανία κῦδος κλεΐζειν.

Λαμπρο-

Λαμπροτάτων ἀνέρων· γῆρυν δ' ἔοικα
Ὀρνέων κακοῖς ἐρίζειν
Πρὸς μελίφωνον ἀηδονίδα.
Ἀλλ' ὅμως ἀρκεῖ θέλημα
(Φασὶν) ἐν τοῖσιν μεγίστοις.

Ἐπῳδὸς α.

Καλβῖνε, τὸ μὲν δυνατὸν
Μὴ νεμέσα,
Μικροθρόου δέ τε φωνᾶς
Δέχνυσ' εὐμενὴς χάριν.
Τὰ πρῶτα γὰρ φερέγγυος
Οὐκ ἀντετάχθη μερόπων σοὶ
Ζῶντι, κ' ἀνδρωθέντι γῇ.
Ἥλιον δ' ὥσπερ, θεὸς
Φωτιζέμεναι χθόνα σε
Στῆσεν ἀκτίνεσσιν ἀ-
φθάρτοις σοφίης ἀγνοπνευματηλάτου.

Στροφὴ β.

Τίς τεῆς δ' αἴγλης ἀπευθὴς,
Τίς θεογλώττων δὲ βίβλων;
Σῶν σέλας θείων σελίδων
Μέροπας ἐπηβόλους
Θῆκεν, ὀνειροσεβεῖς τὸ πρὶν ποτ' ὄντας,
Οὐδ' ἄτοπον πραγματείαν ἐκδιώκει
Συχνὸς, ἐκ σῆς δ' ἀγχινοίας

Χριστιανὸς πολὺς εὐσεβέας
Ἐντολὰς ἔγνω, μάθεν τε
Ἔξοχ' αἰδεῖσθαι τὸ θεῖον.

Ἀντιστροφὴ β.

Ἐκ σέθεν δ' αὐτὴ Γεβέννα,
Ἱερὰ πόλις ἀκούει·
Ἐκ σέθεν διϊσχύρισεν
Τὸ, Μετὰ σκότος, φάος.
Καὶ γὰρ διεσκέδασας τηλοῦ σκοτεινὸν,
Φέγγος ἀναψάμενος τὸ χριστόδεκτον.
Νῦν δ', ἀοιδίμη Γεβέννα,
Σὸς καλὸς ἥλιος τὸ τεὸν
Κάλλος ἠμαύρωσε, φῶς δὲ
ΑΥ̓θις ἐξάλλαξεν ὄρφνη.

Ἐπῳδὸς β.

ΟΥ̓ μὴν θανάτου θίγεν αὐ-
τὸς λανθανέμου,
Κάλλιπε δὲ φλόγα θαλπνὴν,
Πῦρ τ' ἐνεργὸν ἐν χθονὶ,
Ὅθεν τ' ἀνεζωγρήσεται
Μικρὸν ὅμιλος ἑτέρων τοι
Ἡλίων. ἀεὶ δὲ ζώσει
Πανταχοῦ· μόρος δέ γε
Ὤδωσέ μιν ἀπρόσιτον
Πρὸς φάος, τοῦτ' εὐσεβεῖς
Μόνοι μετέχουσ' ἐν δίφρῳ χρυσηλάτῳ.

TVMBEAV AV MESME Iean Caluin, par Antoine de Chandieu, dit Zamariel.

QVand le ciel retira le Theologien,
Qui docte a ſurmonté la Papale ignorance,
La terre ayant perdu ſa plus grande excellence,
Tu es (dit elle au ciel) enuieux de mon bien.
I'ay pris (reſpond le ciel) celuy qui eſtoit mien,
Le couronnant du prix de ſa ferme eſperance:
En terre il ne pouuoit faire ſa demeurance,
Car il eſtoit celeſte, & non pas terrien.
Ceſſez (dit l'Eternel) & vous l'aurez tous deux:
Car ie luy ay donné vn nom tant glorieux,
Qu'il n'y a mort, oubly, ne tombeau qui l'enſerre.
Le ciel aura l'eſprit, la terre gardera
La gloire de ſon nom: & immortel ſera
L'eſprit viuant au ciel, le nom viuant en terre.

AVTRE.

IE penſoy' que la mort auroit trop toſt fermé
L'œil, l'aureille, & la bouche, à ce chef venerable,
Qui a veu & oüy le fruict ineſtimable
De ſon dire excellent, entre tous renommé.
Car maintenant ſon corps qui demeure enfermé,
Aueugle, ſourd, muet, au tumbeau qui l'accable,

Ne voit & n'oit plus rien, & sa bouche admirable
Ne peut plus enseigner son troupeau bien-aimé.
Mais quād ie pēse aux maux suruenus apres luy,
Et qu'on ne void, on n'oit, on ne dit plus qu'ennuy,
Que guerre que tourment, qui de si pres nous touche:
Alors ie cognoy bien, Caluin, que tu es mort
En vn temps propre à toy, & qu'heureuse est la mort
Qui t'a fermé ton œil, ton aureille, & ta bouche.

AVTRE.

LOrs que Caluin changea ceste vie mortelle
A l'Eternel repos de sa felicité,
L'ennuyeux mois de May, qui le nous a osté,
Changea tout au rebours sa façon naturelle.
May, qui doit resiouir la terre vniuerselle,
Et reuestir les champs de sa verde beauté:
May, qui doit descouurir la riche nouueauté
De mille & mille fleurs, que la terre nous cele:
May nous a despouillez de tout contentement,
May a changé son verd en dueil & en tourment:
Bref, ce May fut vn mois au mois de May contraire.
Car au lieu d'en donner, il a pris nostre fleur.
Mais en l'ostant du monde, il n'a pas sceu tant faire,
Qu'au monde il n'en demeure vne immortelle odeur.

CLA-

CLARISS. VIRI, D. IOANNIS Sturmij, ſummam pietatis, eruditionis, facundiæ laudem adepti, ſummis Regibus & Principibus grati, de ciuitate & Academia Argentinenſi optimè meriti, Memoriæ.

SI laudem Pietas vllam ſincera meretur
Veris ſuis cultoribus:
Eximiæ ſi qua eſt Doctrinæ gloria: doctæ
Eſt ſi qua laus facundiæ:
Si ſummis imíſque piis placuiſſe, malorum
Hoſtem fuiſſe perpetem,
Eſt vitæ locuples teſtis vindéxque probatæ,
Ipſis crepantibus inuidis:
Ecquis te, Sturmi, vixit felicior? ecquis
Te mortuo beatior?
Non igitur, Sturmi, te lugeo, lugeo nullos
Supereſſe nobis Sturmios.

SPECTATISS. TVM PIETAtis, tum doctrinæ viri, Theodori ZVVingeri, verè polyhiſtoris, & alterius noſtri ſeculi Varronis, Memoriæ.

SI perſpecta tibi viuo quæcunque fuerunt,
ZVVingere, hac tenui contegerentur humo:

Ipſum humus hæc caperet (dictu mirabile) cœlum,
Et quicquid tellus, quicquid & æquor habet.
Quinetiam quicquid geſtum terráque maríque,
Mundi ex quo fulſit tempore prima dies.
Noluit hoc cui ſunt humana negotia curæ,
Sed ſimul & nobis cauit & ille tibi.
Namque tui melior fruitur pars altera cœlo,
Altera vincendæ pignora mortis habet.
Illa tibi vero tanto congeſta labore,
Scriptis ſalua manent condita cuncta tuis.

PETRI MONAVII VRATIſlauienſis, S. C. M. Medici, viri trium linguarum & omnium liberalium diſciplinarum cognitione inſignis, Memoriæ.

DVm quæ ſint morbis medicamina certa, Monaui,
Sedulus inquiris, metuens Mors ipſa morari
Sæuitiam ipſius ne poſſes arte reperta,
Seruandis intentum aliјs, vitæque tuendæ
Immemorem propriæ, te funere merſit acerbo.
Sed quid ſi potiùs ſeſe Mors ipſa fefellit?
Suetus enim morbos non Mortem vincere viuus,
Vita nunc vera ſanctè moriendo potitus,
Quadam etiam mortem docuiſti morte domari.

EIDEM.

EIDEM.

SI qui nunc tacet, hoc iacens ſepulchro,
Aut ipſum queat hoc loqui ſepulcrum,
Eius nomine quem tegit ſepultum,
Audires ſubitò tuas, Viator,
Qui linguis tribus inſonans ad aures,
Te quotcunque, tribúſve, pluribúſve
Sunt rectè vtilitérque ſcripta linguis,
Argutè, ſolidéque perdoceret.
Sed quum nec queat hoc loqui ſepulchrum,
Nec qui nunc tacet hoc iacens ſepulchro,
Diſcas ex aliis licebit illa.
Tantilla ſed enim mora, Viator,
Petrum hîc diſce Monauium iacere,
Tres nuper ſolitum ſonare linguas,
Boniſque omnibus artibus politum:
Sed cuius ſolidam eruditionem,
Candorémque animi, pióſque mores,
Nulla ſit potis explicare lingua.

N. FABRICII NORLINGENSIS, infimæ puerorum Scholæ, in diſcendis primis literarum & Logiſtices rudimentis Magiſtri, diu & ſingulari cum laude, hoc munere defuncti, Memoriæ.

CAptet auarus opes, petat ambitioſus honores,
Huius quos vitæ ſimulachrum fallit inane:
Rectiùs ô quantò vixit Fabricius ille,
Quem pueros inter medium, tenerámque iuuentam,
Litterulas patriæ monſtrantem pingere linguæ,
Et numerorum artem mira ſimul arte docentem,
Coniuge poſt decadas ſeptem, & tres inſuper annos
Elata, nonam decada, anno vix minùs vno,
Explentem, ætatis placidè ſanctéque peractæ,
Dilexit viuum, deflet Norlinga ſepultum.

ANTONII CHANDÆI, SIVE Sadeelis, Foreſtani ex nobiliſſ. Chandæorum familia, Theologi ſummi, Pariſienſis inſtauratæ orthodoxæ Eccleſiæ, Deo duce, fundatoris, & Matæologorum Sophiſtarum domitoris, Memoriæ.

ESse quid hoc dicam, toties cur impiger olim
Supremum ſuetus perſoluere munus amicis,
Solus ego mutus, nullo nunc digner honore
Te, Sadeele, fuit quo non mihi charior vllus,

Nemo

Nemo bonis vixit cunctis mage dignus amari?
Te, Sadeele, gemens omnis quem turba piorum,
Tot meritis obstricta tuis, sibi luget ademptum.
Et reliquis, eheu, taceam mœrentibus vnus?
Hæc ego dum mecum: cœlo ceu missus ab alto
Nuntius hac visus voce obiurgare gementem:
Ne mirare tuæ si nunc tibi, Beza, sorores
Respondere negant, toties totiesque vocatæ,
Nanque suo in cœlis hilares gratantur alumno,
Nedum vt verba tibi tristes lugubria dictent.
Et quid, stulte, paras? quænam hæc amentia, velle
Versiculis ornare, omnis qui laudis honorem
Exuperat, nec quem poßis ornare canendo:
Sed quem mirari sat poßit nemo tacendo?
Ergo indicta mihi seruabo silentia Beza,
Expectans potiùs, tua dum vestigia sectans,
Mi Sadeele, tibi vitali funere reddar.

CLARISS. VIRI, IOHANNIS Posthij, in aula Illustriss. Principis Comitis Palatini Electoris, Medici, spectatæ, tum pietatis, tum doctrinæ, tum probitatis, viri, Memoriæ.

ERgo etiam, Posthi, nobis te sustulit illa
Iungere mors gaudens funera funeribus?
Quin etiam innumeros in te mors sustulit vno
Sanari medica qui potuère manu?

Ergo Palatina meritò ploratur in vrbe,
Atque suis lacrymas Neccarus addit aquis?
Ergo sibi tecum delamentantur ademptas
Delitias, Phœbus, Pieridésque suas?
At tu, cui in cœlum pietas comes hæsit eunti,
Cui probitas nomen summa perenne dedit,
Æternum gaude, dum nos post terga relicti
Istud idem ad superos acceleramus iter.

IN EIVSDEM POSTHII OBITVM placuit adiicere Epigramma Io. Paludij Philophili.

HEu fama infelix! Necro quæ tristia narras?
Teutoniæ lumen Posthius occubuit.
Occubuit, cuius vixit sub pectore Phœbus,
Ingenio Pallas, gutture Mercurius?
Occubuit, vitam potuit qui reddere multis?
Cuius vita Deo tota dicata fuit?
O vitam haud vitam, non gaudia gaudia, lux nox,
Si pro virtutum das cumulo, tumulum.
Tanto sed nobis magis hæc mors vênit amara,
Quanto nos arsit Posthius ille magis.
Est Deus in cœlis, cuius mens prouida sancta est,
Parendum est, quò nos fata Deúsque vocant.

PSIT-

PSITTACO, SPECIE QVAdam mœroris, Domino ægrotante, mortuo.

PSittacus Eois quo nullus missus ab oris,
Humanos finxit doctiùs ore sonos,
Quo nullus, vel amabiliùs, vel suauiùs, omnes
Dilecto fecit delitias Domino,
Languentem miseratus herum mox languit ipse:
Et fuit (ô fatum!) tam grauis iste dolor,
Vt pia maluerit vitam finire volucris,
Tot mala quàm Domini tam diuturna pati.
Fallor, an ex hominum infidis nunc cœtibus, exul
Ad genus hoc volucrum fugit amicitia?

Auiculæ Acanthidi.

ERgo etiam innocuæ Mors insidiata volucri?
Pieridibus guttur sacrum,
Guttur quo nullum resonantes puriùs auras
Amabili impleuit sono:
Guttur quo nullum teretes demulserat aures
Vel pleniùs, vel dulciùs,
Siue graui, seu voce melos resonaret acuta,
Clarúmve fuscúmve modulans,
AEterno infelix (ah fata, ah aspera fata)
Damnauerit silentio!

Non igitur deinceps, mea dulcis auicula, tecum
Curis solutus colloquar!
Nec Domini digitum multo cum murmure punges,
Et rostro, & alis increpans!
Nec Domini subitò blando pacata susurro,
Pasceris eiusdem manu!
Nec lucem arguta venientem voce salutans,
Pigrum excitabis ex thoro!
Nec te cunctarum volucrum referente canores,
In te vnica omnes audiam!
Finieris igitur, mea dulcis auicula, postquam
Mortis necessitas iubet:
Finieris, inquam, pariter vitámque modósque,
At canere tibi non desinam.
Quin potiùs numeris numeros pensabo vicissim,
Cantúsque referam cantibus:
Vt cuius nequiit voces perferre, canorum
Inuita Mors tumulum audiat.

PSEVDOMONACHI FRANciscani, qui vulgò dictus fuit, FRATER DE CORNIBVS, detestandæ, nec tamen obliterandæ Memoriæ: vt Deus sicut misericors laudatur, ita quoque vt iustus iudex timeatur.

FLete, cucullati fratres, iacet ille sepultus,
Ille cucullatæ relligionis honos:

Ridete,

Ridete, ô reliqui, risu dignißima res est,
Perpetuis hæc sunt funera digna iocis,
Quippe huius quondam mendacibus omnia fucis
Perdere sola diu cura labórque fuit:
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
Mors simulatorem non simulata rapit.

ANTONII PRATÆI, PONTIficij in Gallia Legati, omnium obesorum obesissimi, Memoriæ.

Amplißimus vir hîc iacet.

IACOBI BELNENSIS, SVMmi trium Galliæ Regum Thesaurarij κενοτάφιον.

HVnc sibi Belnēsis tumulum, quem cernis inanem,
Struxerat, inuidit cui laqueus tumulum:
Debuerat potiùs, sors vt foret omnibus æqua,
Tardiùs hic fieri, vel priùs ille mori.

RENATI GENTILIS, ITALI Tortonensis, in suprema curia Præsidis illaudatiss. Memoriæ.

FRacto gutture stare quem reuinctum,
Impellique vides, & huc, & illuc,
Quondam purpureo sedens Senatu
Primas Parrisio in foro tenebat.
Sed lucri studio impotente captus,
Iusto numine sic iubente, viuus
Qui Iudex malè sederat tot annos,
Stare nunc malè mortuus iubetur.

M. ANTONII MVRETI, LEmouicis, Romanam ciuitatem suis virtutibus promeriti, Memoriæ.

GAllia quod peperit, pepulit quod Gallia mõstrum:
Quem Veneti profugum non potuêre pati,
Muretum esse sibi ciuem iußêre Quirites,
Et tumulo extinctum composuêre suo.
Viuere nam potiùs qua debuit vrbe cynædus?
Impius & quanam digniùs vrbe mori?

EPIGRAMMATA.

THEODORI BEZAE EPIGRAMMATΩN LIBER.

LECTORI.

SVNT qui Lectori longo fastidia libro
Longa ferãt, fas sit scribere pauca mihi:
Et tamen hic potuit, Lector, liber esse libellus,
Pendere sed versus non numerare decet.

Ad eundem.

NOn sæuas metuo reprensiones,
Non ronchos timeo, calumniásve,
Non vllos obelos seueriores,
Non quod vel placeam mihi ipse stultus,
Vel nullis stolidus calumniarum
Confixus iaculis queam moueri:
Sed quòd si meritò reprendar, adsit
Quod poßim mihi iure gratulari:
Sin verò immeritum imperitus vllus
Carpat, inuidus aut sophista, quid tum?
Istis maxima displicere laus est.

DE PARELIIS LVTETIÆ Parisiorum visis, anno cIↃ. IↃ. XXXIX. finiente, Carolo Cæsare, Calendis Ianuarij anno cIↃ. IↃ. XL. vrbem ingressuro.

ASpiceres nuper geminos quum, Gallia, Soles,
Mirata es Soles, Gallia tota, duos.
At nunc mirari potiùs tua commoda disce,
Quæ spondere tibi sydera bina vides.
Sol est Franciscus, Sol est quoque Carolus, illis
Quatenus Europæ dat Deus imperium.
Quos si concordes fœdus coniunxerit ictum,
Eclipsis fuerit nulla timenda tibi.

OBLATVM IPSI CAROLO Quinto Imperatori, Lutetiam ingredienti, Cal. Ianuarij, anno cIↃ. IↃ. XL.

TE veniente sua est facies quòd reddita cœlo,
Perpetuo madidum quod priùs imbre fuit,
Miratur vulgus. Sed cui est tua cognita virtus,
Virtus perspectum quid tua poßit habet.
Scilicet ipsius regnantis Cæsaris ora
Gestiit ipsa etiam cernere pura dies.

In Ponticum aſinorum Encomiaſten.

DVm laudas aſinos, toties cur, Pontice, peccas?
Nempe tibi ignotum, γνῶθι σεαυτὸν, erat.

De beati Theocreni, Regiorum ſub Franciſco primo liberorum præceptoris, Epigrammatum libello.

ARua Maro laudare docet ſpatioſa colonos,
Idem parua docet rura colenda Maro.
Qui volet, hic terram centenis vertat aratris,
Me iuuat hic paruus, ſed bene cultus ager.

In L. Iunij Columellæ libros De re ruſtica, elegantiſsimè ſcriptos.

ORphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modò Virgilij carmina pondus habent,
Tu verò, Iuni, ſylueſtria rura canendo,
Poſt te ipſas vrbes in tua rura trahis.
Vah, quales, quantóſque habuit tunc Roma Quirites,
Quum tam facundum cerneret agricolam!

IN SEXTVM.

CAEcus es, & Bezam reprendis, Sexte, Quid ergo?
Sanum reprensor debet habere caput.

IN MELIOREM VOLMARVM praeceptorem summè obseruandum, doctissimè Homerum in Academia Bituricensi interpretantem, anno Domini CIↃ IↃ XXXIV, quum ageret annum Beza XV.

FLacce, tibi quandoque bonus dormitat Homerus,
Sed num propterea cæcus Homerus erat?
Immo oculis captus quînam credatur Homerus,
Quem sequitur vatum cætera turba ducem?
Illius sed enim splendorem longa vetustas
Obruerat densis, heu, nimiùm tenebris.
Tu Melior, donec, fato meliore, renato
Dux ipsi fieres, Volmare magne, duci.

IN LVPVM.

IEiunus mihi sobrium Platonem
Laudabas, sophiamque prædicabas:
Mox verò vt tibi cœna sumpta mecum,

Mutasti

Mutasti faciem atque opinionem.
Quî factum hoc, Lupe, tam citò vt iuberes
A cœna sophiam valere? nempe
Cœnatus, Lupe, non eras apud te.

DE FRANCISCI REGIS, & Caroli Cæsaris induciis.

ROma olim cessit soceri generique furori,
Et gladiis cecidit Martia Roma suis:
Quòd si illi placidas iunxissent fœdere dextras,
Robore staret adhuc Martia Roma suo.
Sic fratrum immitis nuper discordia penè
Funditus Europæ verterat imperium:
At quoniam iungunt concordia pectora fratres,
Seruatum Europæ dicitur imperium.

XENIVM IOANNI TRVCHIO, & Ioanni Dampetro.

SInceris mos est nunquam neglectus amicis,
Anni sub primos mittere dona dies.
Nempe quòd, vt veteris renouatur circulus anni,
Fas sit vt antiquus sic renouetur amor.
Ergo quum Bezam Truchius fateatur amicum,
Nec me Dampetrus deneget esse suum:

Non temere antiquos mores imitatus, vtrique
Parua quidem mitto dona, sed apta tamen.
Ambo estis vates, ambobus carmina dono,
Carmina, quæ nostri pignus amoris erunt.
Vos pridem sincerus amor coniunxit in vnum,
Vnum igitur decuit munus habere duos.

DE MORBO FRANCISCI Gallorum Regis, & valetudine mox illi reddita.

AEGroto Pallas Francisco ægrota iacebat,
Optabat Mauors æger & ipse mori.
Illa, quòd hoc tutam solo se credat alumno:
Hic, quòd sit studio natus vterque pari.
Quòd si Franciscum mors eripuisset, eôdem
Funere Mars functus, functa Minerua foret.
Atropos hoc mirata nefas, feritate reposta,
Seruauit, saluo, numina, Rege, duo.

In Fori Mancipia.

PRisci quum ferè sueuerint Poëtæ
Rebus quódque suis sacrare numen,
Cur Lucrum, Forum, & Eloquutionem
Vni Mercurio tamen sacrarunt?
Vates scilicet hoc modo indicarunt

Futurum

Futurum, vt rabiosa quisquis arma
Tractaret fori, haberet ille curam
Lucri non minùs ac loquutionis.

AD MVSAS, TINEÆ SACRIficium ludicrum.

SI rogat Cererémque Liberúmque
Vitæ sollicitus suæ colonus:
Si Mauortis opem petit cruentus
Miles, sollicitus suæ salutis:
Quidni, Calliope, tibi tuísque
Iure sacra feram, quibus placere
Est vnum studium mihi, omnibúsque
Qui vatum è numero volunt haberi?
Vobis ergo ferenda sacra, Musæ.
Sed quæ victima grata? quæ Camoenis
Dicata hostia? parcite, ô Camoenæ:
Noua hæc victima, sed futura vobis
Suauis, arbitror, admodúmque grata.
Accede, ô tinea, illa quæ pupillo
Ventrem corpore tam geris voracem.
Téne Pieridum aggredi ministros?
Téne arrodere tam sacros labores?
Nec factum mihi denega. Ecce furti
Tui, exempla, tuæ & voracitatis:

Penè tu mihi passerem Catulli,
Penè tu mihi Lesbiam abstulisti:
Nunc certè meus ille Martialis
Ima ad viscera rosus vsque languet:
Immò & ipse Maro, cui pepercit,
Iusto Cæsare sic iubente, flamma,
Læsus dente tuo, scelesta, mœret.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monimenta, tu labores
Isto peßima ventre deuorasti?
Prodi, iam tunicam relinque, prodi.
Vah, vt callida stringit ipsa sese!
Vt mortem simulat! scelesta, prodi,
Pro tot criminibus datura pœnas.
Age, istum iugulo tuo cruento
Mucronem excipe, & istum, & istum.
Vide vt palpitat, vt cruore largo
Aras polluat hæc profana sacras!
At vos Pierides, bonæque Musæ,
Nunc gaudete: Iacet fera interempta,
Iacet sacrilega illa, quæ solebat
Sacros Pieridum vorare seruos.
Hanc verò tunicam, has dico, Camœnæ,
Vobis exuuias, vt hinc trophæum
Parnasso in medio locetis, & sit
Hæc inscriptio: De fera interempta.
Beza dat spolia hæc opima Musis.

IN PHI-

IN PHILOPATRVM.

DAmnabis (fateor) noſtros, Philopatre, libellos,
Et tibi non lectum deſpicietur opus.
Quid tum? ſi noſtros, carpas, Philopatre, libellos:
Debebunt tanto noſtra placere magis.

In eundem.

SIue Palatina Philopatrus inambulet aula,
Et fatuo inceſſu marmor vtrúmque terat:
Siue fames illum locupletum quærere menſas,
Et procul è vacua iuſsit abire domo:
Seu ieiunus eat, ſeu pleno ventre vacillet,
Seu lateat ſolus, ſeu comitatus eat:
Semper habet quiddam turpi quod garriat ore,
Quod meritò poſsit carpere, ſemper habet.
Semper hiat, ſemper collóque humeríſque laborat,
Et ſimulat magnum voce manúque ſophos.
Sed quum te audierint multi bene multa loquentem,
Nemo bene audiuit te, Philopatre, loqui.

AMICISSIMIS DVOBVS, Ioanni Truchio, & Lodoico Valido.

Vos ego diuini Manes appello Platonis,
Est cuius castus munere notus Amor.
Dicite, non curnam in sese moriantur amantes,
Cúrve anima viuant alter in alterius.
Aut quales meritò nobis dicamus amicos,
Aut solidi verum quod sit amoris opus.
Hæc ego non quæro, nec quæ retulisse Platonis
Sobrius ad casti prandia fertur Amor:
Sit satis hæc dixisse semel: nunc dicite Manes
Quædam animo nondum sat bene nota meo.
Mens simplex atque vna mihi est, hanc attamen vnã
Pridem Amor in partes iussit abire duas:
Atque ait: Hanc animam diuisam trado duobus,
Dimidiam Truchio, dimidiam Valido.
Salua tamen mens est: viuo, scribóque, loquórque:
Et tamẽ hæc Validi est, & tamẽ hæc Truchij est.
Quódque magis mirum, quum sit diuisa duobus,
Vtrúmque integra diligo amóque anima.

IN HV-

IN HVBERTVM, PERDI-tiſsimum nebulonem.

NOrunt Hubertum ganeones prodigi:
In vrbe tota nullus histrio latet,
Nec mœchus vllus, leno, ſcurráve impudens,
Cui non Hubertus iſte ſit notus bene.
Sed ſcire vis ignotus hic cui ſit? ſibi.

DE IOHANNE SECVNDO Hagienſi, Poëta eximio.

EXcelſum ſeu condit opus, magníque Maronis
Luminibus officere ſtudet:
Siue leues elegos, æternáque carmina, raptus
Naſonis impetu, canit:
Siue lyram variis ſic aptat cantibus, vt ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Siue iocos, blandóſque ſales epigrammate miſcet,
Clara inuidente Bilbili,
Vnus quattuor hæc ſic præſtitit ille Secundus,
Vt antecellat plurimos.

AD LABVLLVM.

SI cœnare voles, Labulle, mecum,
(Sed cœnare voles, Labulle, mecum,)
Audi quæ tibi cœna sit parata:
Perdices aderunt duo duobus.
Turtur mox aderit, nec ille solus,
Sed quem casta etiam sequetur vxor.
Hæc nos frigidulo mero, Labulle,
Fame vel quoque condiemus ipsa.
Sed scis qualia vina comparaui?
Quæ si non vocites Opimiana,
At certè Optimiana iure dicas.
Quòd si Grammatici pati recusent,
Oblato sibi poculo tacebunt.

CARMEN GENETHLIACON

Francisco Henrici II. Galliarum Regis F. primogenito, decem demum annis nato, post coniugium cum Catharina Medicea initum.

FErtur in Alcmenes venturus Iuppiter olim
Brachia, ter noctis continuasse vices:
Nempe quòd in magni diuinos Herculis ortus,
Nox, hyberna licet, non foret vna satis:

Sic,

Sic, princeps, Henrice, tuo quum è semine vellent
Alciden Gallis gignere fata suum,
Vnius in prolis conceptum currere messes
Iusserunt magna cum ratione decem.
Scilicet haud aliter prorsus quàm pluribus annis
Formari tantus debuit iste puer.
Et (si fas homini res est aperire futuras,
Nec dici vanum numen inane decet)
Quò deni plures ternis sunt noctibus anni,
Hoc tuus hic infans Hercule maior erit.

CARMEN GENETHLIACON Isabellæ, Henrici Galliarum Delphini, ex Catharina Medicea, F.

ECce nouos peperit Gallis Catharina triumphos
Iam prole diues altera:
Natorúmque loco, felicem crescere turbam
Auus nepotum conspicit.
En, vixdum nata, in cunis Isabella videtur
Vagire quiddam Regium.
Móxque iocos blandæ tenero cum fratre sororis
Spectabit Henricus pater.
At Gallus primis iam nunc miratur in annis
Suos futuros principes.
Et quanuis teneræ, magnum iam frontis honorem
Notásque regias colit:

Donec,

Donec, paulatim, illorum crescentibus annis,
Spes Galliæ adolescat simul:
Francisco vt domitos forti, victósque pudico
Isabellæ amore blandulæ,
Gallia conspiciat venerari lilia pronos
Orbis superbos principes:
Illi etenim nullus poterit par viribus esse,
Odisse nullus hanc volet.

DE FELICI CORONATIONE Henrici II. Francorum Regis.

FRancisco postquam sublato, Gallia sensit
Cuius lene foret mox subitura iugum,
Finiit, vt potuit, gemitus: animísque receptis,
Istæc fassa fuit commoda damna sibi.
Ergo age, quamprimùm Henrici fac Sequana, Regis
Ad gelidas Arctos nuntia fama volet:
Hæc Liger Hesperiis, Rheni Mosa dicito ripæ,
Hæc, Rhodane, ambustos perfer ad Æthiopas,
Gallorum Henricum felicia sceptra tenere,
Ingentem ingenti de genitore satum:
Vix Regem esse tamen: dubium quia fecerit ipse,
Rex patriæ dici debeat, ánne pater.

CLARISS.

CL. V. MICHAELI QVELINO, Senatori Parisiensi, quum vxorem ducturus ægrotare cœpisset.

TE, Michaël, quodcũque malũ tam læta parantem
Coniugia, è tristi vix sinit ire thoro.
Seu febris, seu rheuma hoc est, me iudice, dignum est
Altera quod febris, rheuma quod interimat.
Nam tua vel virtus, vel castæ vota puellæ,
Materies iusti plena fauoris erat.
Perge, Queline, tamen, nec tam bene cœpta morare,
Finem etiam morbis tempora læta dabunt.
Perge puella simul: licèt ægrotante Quelino,
Vix alius toto sanior orbe vir est.

De Victoria Gallorum, parta apud PEDEMONTEM, aduersus MARCHIONEM VASTI, Anno cIↃ. IↃ. XLIV.

FRancorum victas acies Insubria vidit,
Vidit, sed Franci robore freta ducis.
Namque velut quondam Romã oppreßere Quirites,
Sic est penè sua Francia versa manu.
At nunc euersas aquilas Insubria cernit,
Et colubris rursus lilia iuncta suis.
Ergo, seu vincat, seu cedat Francus, vtrinque
Virtutis laudem quo mereatur, habet.

De pace inter Franciſcum I. Galliarum Regem, & Carolum V. Cæſarem inita.

Vidimus, heu, fratres in mutua bella paratos,
Vidimus accenſas Martis vbique faces.
Nunc tamen, ô ſuperi, placidis allabitur alis,
Aurea perpetuos pax habitura dies.
Quis porrò tanti tibi, Gallia, muneris auctor?
Gallia, quo tandem vindice facta tua es?
Scilicet hic ſuperum fauor eſt, hæc munera cœli:
Non ſunt hæc cœli munera tota tamen.
Quippe etiam partem doni ſibi vendicat huius
Et Rex, & Regis natus vterque tui.
Roma igitur patriæ patres numerauerit olim,
Nos patriæ patres & numeremus auum.

IN PAVLINVM.

Paulino quoties condixi, Teſtile, cœnam,
Nunquam, quum taceat cætera turba, tacet.
Nec niſi depoſitis dapibúſque meróque quieſcit:
Ergo ſatur, dices, non abit, immo venit.

IN CAE-

IN CÆCILIVM.

QVandocunque sibi parare amicos
Optat Cæcilius fideliores,
Hos solo probat æstimátque censu,
Nec quenquam colit vt suum libenter,
Virtus vnica quem facit beatum:
Sed cuius titulos superbiores
Triplex linea vix notare poßit,
Hunc suum vocat, hunc colit libenter,
Sic seruitur, auare, non amatur.

IN BERGEDVM.

AVdes (ô facinus!) censoris sumere normam,
Et semper mæsti verba sonare senis.
Audes, ô mores, ô tempora, dicere, quum sis
Socraticos inter gloria prima canes.
Tale tamen demens, tale, inquam, Bergede, ploras,
Sileni vector qualia nempe rudit:
Quale gemunt calami crasso tractante bubulco,
Quale gemit viridi fulta quadriga rota.
Denique sic ploras, vt qui tua carmina ridens
Non legat, inuentus sit (puto) nullus adhuc.

Carmen FRANCISCO VALESIO Galliarum Regi, è Picardia, ſoluta Landriſij obſidione, reuerſo, oblatum.

QVod, Franciſce, tibi iãdudum ſpondet Olympus,
Id ſors obtulerat nuper amica tibi:
Scilicet vt poſſet victorem agnoſcere Francum
Excuſſo hoſtili Gallia tota iugo.
Tu tamen hæc (quanuis & magna & certa) tuorum
Non es dilecto ſanguine paſſus emi.
Illæſos igitur quòd tu ſeruaueris hoſtes,
Nemo metum credat, ſed pietatis opus.
Pugnabas et enim nolens pugnare, tuique,
Tunc quũ hoſtem nolles vincere, victor eras.

IN ZOILVM.

BReuem, Zoile, dicis hunc libellum:
O ſi poſſet idem omnibus videri.

Ad amicos.

HVnc quanquam illepidum & malum libellum,
Vos ô perlepidi mei ſodales,
Quæſo, ſumite blandiore vultu,
Deinde perlegite vſque ad vmbilicum.

Nam

Nam vos id rogat ille Beza vester.
Sed sic perlegite, ô boni sodales,
Vt nec falsa aliqua eruditionis
Nostræ opinio, nec mei tuendi
Cura nominis vlla, vos moretur.
Figatis, potiùs, vel hinc, vel illinc,
Stellulísque, obelísque, virgulísque,
Cultu splendidus vt decentiore,
Testetur titulo tenus parentem.
Id verò mala turba Zoilorum
Damnabit (fateor) nihílque dicet,
Hîc, præter titulum meum videri.
Sed clamet licèt vsque, & vsque, & vsque,
Sit totus volo vester hic libellus,
Quum vester quoque sit poëta totus.

AD ANDREAM TIRAQVELLVM,
Senatorem Parisiensem, alterum nostri seculi Varronem.

EST tibi natorum quæ computat agmina coniux,
Est tibi quæ natos bibliotheca parit.
Fortunate senex, te nulla obliuia mortis,
Te nunquam totum tollet auara dies.
Namque alia ex illis mox est ventura propago,
Ex his est pridem gloria nata tibi.
Vt verò pereant illi, illorúmque nepotes,
Hæc tamen incolumis cum patre neptis erit.

IN TOLENONEM.

TOllendæ cupidus Toleno prolis,
Altæ dum superat iugum Pyrenes,
Diuo porrigat vt preces Iacobo:
Quin Alpes quoque transilit niuosas,
Petri vt limina visat atque Pauli:
Et mox Adriacum in sinum reflexus,
Laureti attonitus Deam precatur:
Inde per medij maris pericla,
Sacram perueniens ad vsque Idumem,
Sacratum Domini petit sepulchrum:
Nec contentus adhuc, latrocinantum
Arenas Arabum siticulosas
Gibbo permeat insidens Cameli,
Sublimem properans ad vsque Sinam,
Et diuæ iuga sacra Cattarinæ:
Quid profecerit hoc labore, quæris?
Tres natos reperit domum reuersus.

CL. V. CALLARTIO I. C. Aureliensi.

EN senos tibi mitto pippiones,
Ruris munera rusticana nostri,
Nostri non penitus tamen, sed olim
Futuri, nisi fortè me fefellit

Patronus mea iura qui tuetur:
Iura tanta quidem, vt nec his ferendis
Terga sufficiant onusta muli.
Hos ergo tibi mitto pippiones.
Obtestórque Deum simul, beato
Vt senis tibi meßibus peractis,
Fas sit coniuge de tua pudica,
Tot natos numerare vagientes,
Quot fœtus tibi mitto pippientes.

In viros, more turpißimo, γυναικοκομοῦντας.

CIncinnatulus ille, cui vndulati,
Propexíque humeros grauant capilli,
Qui tersa cute, blæsuláque voce,
Qui pætis oculis, gradúque molli,
Et pictis simulat labris puellam:
Heri, Posthume, nuptias parabat,
Quum nequißimus omnium sacerdos,
Vrbanus tamen, & facetus ille,
Vtra sponsa foret, rogare cœpit.

Carino admodum nasuto.

QVòd quacunque venis, fuga est, Carine,
Ceditúrque tibi velut Tribuno,
Tandem, desine, quæso, gloriari:
Naso, non tibi, ceditur, Carine.

In Posthumum κατάρατον.

QVantumuis Libitina frequẽs spectetur in vrbe,
Et proprios vitent fœmina vírque lares.
Solus in vrbe manes, atque id, mi Posthume, iure:
Nã quocũque venis, quid, nisi pestis, adest?
Quid si corripiat te pestis in vrbe morantem?
Nempe etiam pesti, Posthume, pestis eris.

In Pseudepiscopos Pontificios.

MItrati quocunque ferant vestigia patres,
Prælatæ apparent aurea signa crucis:
Siue adstant aris, stulto mirante popello,
Vna illis cura est ingeminare cruces:
Siue domo egressi priuata negotia curant,
Mille manu signant versicolore cruces:
Ludere sæpe etiam, & scortari & stertere sæpe,
Et medias inter credo cacare cruces.

Si causam

Si causam rogites, id non facit vlla tuendi
Cura gregis, Christi cura nec vlla crucis,
Verùm homines natos cruciãdis omnibus, æquum est,
In manibus promptas semper habere cruces.

In eosdem.

NIl mirum est statuas vos commendare libenter,
Ipsi quum sitis Pontifices, statuæ.

In Cyclopicam σαρκοφαγίαν.

ARas atque focos vt defendêre Quirites,
Summa quibus pietas ara focúsque fuit:
Sic horum soboles, pro carne & sanguine certat.
Quorsum aras etenim, vel sine carne focos?

IN POMPILIVM gibbosum, & diserti Poëtæ nomen affectantem.

ERrat Pompilium quisquis negat esse poëtam,
Et omnium quidem optimum.
Pompilium gibbo duplici, nugísque canoris
Notum ἀμφίκυρτον *omnibus.*
Nam reliquis satis est, Parnaßi in limine Musas
Si vel salutent eminus:
Atqui Pompilius Parnassum hinc inde bicornem
Totum ferens obambulat.

IN ZOILVM.

ZOile, non cessas nostrum damnare libellum,
Errores solitus connumerare meos.
Vt mala sint, at non sunt pessima carmina, quorum
Zoilus errores enumerare potest.

Εἰς Ἑρμῆν ἰατρομόναχον.

ΠΑμμιαρὸν ζώσας μοναχῶν μιαρώτατος Ἑρμῆς,
Εἰς ἰατρῶν παῖδας αὐτομολῶν ἀπέβης.
Εὖ γ' Ἑρμᾶ ξυνᾶψε, μίαν μοναχός τ' ἰατρός τε
Ἀσκήσας τέχνην, δὶς νεκροπομπὸς ἐών.

In eundem.

VIxisti monachus monachorum dedecus Hermes,
Nunc medicorum idem dedecus es medicus.
Fallor? an vt fueras monachus ψυχέμπορος *olim,*
Idem Hermes medicus nunc νεκροπομπὸς *eris?*

IN PETRI BEMBI Patritij Veneti historiam Venetam.

CLaræ vrbi Venetûm debes natalia, Bembe:
Vrbs eadem clara est munere, Bembe, tuo.

Tu pa-

Tu patria felix, felix te patria ciue,
Bembe: tamen debet patria plura tibi.
Nam mortale fuit patriæ quod munus habebas:
At, quam das patriæ, vita perennis erit.

MELIORI VOLMARO præceptori summè obseruando.

ERgo placet nostros iterum vulgare furores?
Ergo semel non est desipuisse satis?
Sic, Volmare, iubes: & ego tibi (quæso) iubenti
Quid tandem iusta cum ratione negem?
Quid facerem? quæ nos tibi consecrauimus olim,
Eripere hæc eadem quo tibi iure queam?
Adde, quòd ipse tuus quum sit quoque muneris auctor,
Hæc quum dona petis, tu tua dona petis.
Fama igitur valeat, nos iam nil fama moratur,
Fas, tibi quò placeam, displicuisse mihi.

CL. V. IOACH. CAMERARIO, viro doctorum ætatis suæ Germanorum facilè principi.

ERgo meos etiam laudas, Ioachime, libellos,
Et mea, quæ recites, carmina digna putas?
O nimium natos felici sydere versus,
Queis tam facundo contigit ore cani!

I nunc, Mome, crepa. Nam quis, nisi peßimus, illa
Nunc odisse velit, quæ Ioachimus amet?

In Rom. Pontificum carnificinam.

ET flammis & aquis crustacea numina sæuus
Romæ tuetur Pontifex.
Nec mirum. Hæc etenim crustacea numina certè
Formant aquæ, flammæ coquunt.

In nouam Triada, Ecclesiæ Apostaticæ rectricem.

DIra Trias, pictor, pistor, pastórque furentes
Plerosque arbitrio fert agitátque suo.
Ille Deos pingens, hic pinsens, cautior illis
Pastor, cui cibus est ille vtriusque labor.
Artibus haud paruis: aliis spectacula præbens,
Dans aliis præter paruula crusta nihil.
Quàm cautus, cui pro nihilo sic omnia cedunt!
Quàm stulti huic dantes omnia pro nihilo!

In eiusdem Triadis certamen.

IV dice sacrifico pictor pistórque feruntur
Artis certamen constituisse suæ.
Tum pictor, Cœlum, terrámque, hominésque, deósque,
Deniq; quod libuit, pinxerit ista manus.

Ast ego

Aſt ego (piſtor ait) quod pinſo, vbi iuſſerit iſte,
Fit Chriſti corpus, tute quod, ecce, colis.
Corpus (ait pictor) paucas hoc durat in horas.
At noſtrum longo tempore perſtat opus.
At tu, (inquit piſtor) pictura ludis inani,
Quum noſtrum verè corpora paſcat opus.
Ergo (pictor ait) tu ventri numina pinſis?
Vermibus (at piſtor) numina pingis? ait.
Tum Iudex. Satis ô, ſatis ô certaſtis amici,
Quandoquidē hæc multis pandere ſacra nefas.
Ite domum potiùs, concordi & pectore, Chriſtos
Iſte mihi pingat, pinſat & iſte mihi.

In Sacrificorum cereos & lampadas.

QVum ſint ſacrifici meræ tenebræ,
Noctis noctua nec tam amet tenebras,
Quàm lucem hi fugiunt tenebriones:
Cur, ſeu luce rudunt nefanda ſacra,
Seu noctis tacitas boant per vmbras,
Agunt omnia teſtibus lucernis?
Nempe vt, quos ſtolidæ ſubinde turbæ
Poßint vendere callidi, perennes
Ipſis ſufficiat lucerna fumos.

Ex Græco.

PInxiſti pulchra nuper Phaëtonta tabella,
Altera Deucalion picta tabella tua eſt.
Et pretio rogitas quónam ſit dignus vterque?
Ille quidem flammis, hic bene dignus aquis.

Illuſtriſſ. Principi, CHRISTOPHORO Comiti Palatino, Bauariæ Duci, &c.

ECce tibi quale argentum Burgundia gignit:
Quæque etiam ſalſæ munera fundit aquæ.
Dulcis opum guſtus, ſale nil contra acrius vno:
Integra ſic hominum ſymbola ſortis habes.
Faxit at ille tuæ Dominus qui pocula vitæ
Temperat, ô magni magna propago patris,
Te neque dulcedo fallat, neque vexet amaror,
Quin potiùs currat ſors moderata tibi.

In Nouercas è Græco.

STantem Nouercæ verberans imaginem,
Cecidi cadente, iacente nunc iaceo miſer.
Priuigne, metuas quoque nouercam mortuam.

Ad

AD PRISCVM in Aulicos.

AEOlus AEolia quisnam dicatur in aula,
Claudere nunc ventis, nunc reserare fores,
Dicere, Prisce, iuuat: dicentem sedulus audi:
Hoc quoque ne pereas naufragus ipse mari.
AEolus hic vera est magnorum, crede, figura,
Est quibus in toto vanius orbe nihil.
AEolia aula quid est, nisi quas nos cernimus aulas?
Nempe aliud rediens rursus in orbe Chaos.
Hinc Euri, Corique ruunt, hinc nubilus Auster,
Hinc Aquilo rigido iussus ab axe volat.
Hinc mundi pelagus vertúntque ruúntque procellæ,
Rarus vt his currat nauita tutus aquis.
Hæ sunt AEolides, loca fœta furentibus Austris.
Aspice disruptas vndique, Prisce, rates:
Et si fortè sapis, cursum in contraria flecte:
Stultus, ab hac vitam qui sibi morte petit.

IN TVRNONVM, indoctum quidem, sed doctorum non paucorum Mecœnatem.

INdoctus doctos pascis, Turnone: beatus,
Si tam animo saperes, quàm tibi mensa sapit.
Euge tamen, Musæ, vestras alere improbus artes
Quum detrectet honos, sic modò pascat ὄνος.

Εἰς τὸν Χριστὸν πάσας τὰς ἐναντίας ἀρχὰς, καὶ ἐξουσίας, ἐν τῷ σταυρῷ θριαμβεύσαντα. ὡς ἐν διαλόγῳ, τοῦ μὲν παροδίτου ἐπερωτῶντος, αὐτοῦ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀποκρινομένου.

Αἴ, αἴ! τίς σε, φερέσβιε, δύσμορος ἔκτανεν; αἴ, αἴ!
Σωσίβροτόν σε μανεὶς τίς θανάτωσε βροτῶν;
ΟΥ Καϊάφας τόσσον, οὐ δολερὸν προδόταο φίλημα,
ΟΥδ' ἄδικοι μιαροῦ τοῦ Πιλάτοιο χέρες.
Μήδεα πατρὸς ὅσον, τοὐμόν τε τοι ἤπιον ἦθος
Ἀμπλακίας ἐλέῳ τὰς σεῦ ἀμυνάμενον.
Πῶς δὲ κριτὴς ἐκρίθης; πῶς πανδαμάτωρ ἐδαμάσθης;
Πῶς ἀπαθὴς ἔπαθες; πῶς θάνες ἀθάνατος;
Καὶ κτίστης καὶ κτιστὸς ἐών, ἀπαθής τε παθητὸς,
Καὶ Θεὸς ὢν θνητὸς, καὶ βροτὸς ἀθάνατος.
ΟΥτως δὴ θάνατον θανάτῳ θανάτωσα, θέαμα
Τερπνὸν ἐπουρανίοις, τερπνὸν ἐπιχθονίοις.
Φεῦ σοφίης βάθος. ὦ θείας μέγα θαῦμα προνοίας,
Φρικτὸν ἐπουρανίοις, φρικτὸν ἐπιχθονίοις.
Ἔῤῥ' ἀΐδου κνέφας, ἔῤῥε Σατᾶν ὀλεσίμβροτε, αὐτὸς,
Αὐτὸς (ἰδοὺ) ζωῆς πρόξενος εἶ θάνατος.

Hoc

Hoc Epigramma ISAACVS CASAVBONVS ex Græco ſic elegantiſsimè & feliciſsimè Latinè vertit.

EHeu! quis vitæ auctorem te ſuſtulit? eheu!
Quíſve ſalutem hominum perdere te potuit?
Non Caïphas adeò, non oſcula perfida Iudæ,
Aut, Pilate, tuæ, conſcelerate, manus:
Conſilia vt Patris, propriæ & clementia mentis,
Dum tua, te miſerans, improba facta luo.
Iudicium iudex ſubis! indomitúſque domaris!
Nil patiens pateris! non moriens moreris!
Quippe creator ego atq; creatus, homóque, Deúſque,
Nil patiens patior, non moriens morior.
Mortem ita morte dedi morti: lætiſsima præbens
Gaudia cœligenis, gaudia terrigenis.
Aptæ ô mentis opus! diuina ô conſilia! iſtud
Cœligenæque ſtupent, terrigenæque ſtupent.
I nunc, Orce niger: Sathan, & tu perditor, i nunc:
Ipſa viden? vitæ mors tua facta via eſt.

In Pſeudocleri Romani votiuum cœlibatum.

ROmana in primis abigat quum Curia quotquot
Legitimi iurant foedera ſancta thori.
Cur, age, cur patres cupiunt fratréſque vocari,
Quotquot alit ſummi Curia Pontificis?

Scilicet hisce Deus pater est, Ecclesia mater,
Vna quibus patrem turba cynæda parit.
Immò quis patribus plenas & fratribus istis,
Crediderit vacuas matribus esse domos?

In ebriosos.

QVæris quis sit homo ebriosus, atqui
Nullus est homo, Nævole, ebriosus.

In Gallicam anarchiam.

POstibus affixas leges edictáque passim
Grandibus est (fateor) cernere sculpta notis.
Sed quorsum affixæ nobis sculptæque tabellæ,
Ipsô si iudex poste loquente tacet?
Vin' (ô rex) igitur regni succurrere rebus?
Ne leges, verùm figere disce reos.

IN TRES EXIMIOS ÆTAtis nostræ Ecclesiastas.

GAllica mirata est Caluinum Ecclesia nuper:
Quo nemo docuit doctiùs:
Est quoque te nuper mirata, Farelle, tonantem:
Quo nemo tonuit fortiùs:

Et miratur

Et miratur adhuc fundentem mella Viretum:
Quo nemo fatur dulciùs:
Scilicet aut tribus his ſeruabere teſtibus olim,
Aut interibis, Gallia.

P. MELISSO SCHEDIO.

MEllitiſſime, quæſo, mi Meliſſe,
Quo mellita magis nec ipſa mella,
Nec ipſi lepidi magis lepores,
Nec eſt ipſa Venus magis venuſta,
Quiſnam hoc nomine te beauit augur?
Fallor, an tibi vel nouem Camoenæ,
Vel ipſæ Charites tibi hoc, Meliſſe,
Præſagæ puero dedêre nomen?
Sed ô parcite vos mihi, Camoenæ,
Et vos ô Charites. Meliſſus iſte
Quorſum? Nam potiùs vel eſt mel ipſum,
Vel eſt ipſa opifex μελίσσα mellis,
Vel certè ipſius officina mellis.

IN PONTICVM.

ESſe lupum noſti, paſtoris nomine falſo
Commiſſas tectus qui ſibi glubit oues.
Das tamen argentum, das aurum, prædia, villas,
Et quæcunque lupi flagitat ingluuies.

Nam tibi relligio est illum ablegare petentem,
Ast huic relligio est maxima non capere.
Das igitur quiduis, & quiduis arripit ille:
Tu dando, hic nunquam est accipiendo satur.
Vt peccata, inquis, redimam. Immò quis furor hic est,
Vt pecudem serues, pascere velle lupum?

In Pontis triplicis aquæductum, Gardo flumini inter duos montes, nulla tanti artificis addita inscriptione, impositum, tertio à Nemauso miliari.

MOntibus impositos cantauit Græcia montes,
Pyramidum ostentat barbara Memphis opus:
Plus est quod cernis, triplicis coniungere pontis
Fornicibus, montes sic potuisse duos.
Et plus est (victam quo se natura fatetur)
Imposuisse ipsis flumina fluminibus.
Et rursum hoc plus est, contempto laudis honore,
Artificem nomen subticuisse suum.
Mire opifex, quod tu fecisti, sit licèt ingens,
Quod non fecisti, plus ego miror opus.

In linguæ

In linguæ Latinæ à ROBERTO STEPHANO patre, & Græcæ ab HENRICO STEPHANO filio, collectos & editos thesauros.

AVsonias quondam Musas Robertus egentes
Excepit grato prouidus hospitio.
At nunc Henricus, patris vestigia sectans,
Errantes Graïas excipit hospitio:
Illæ autem memores accepti muneris, ecce
AEternas Stephanis constituêre domos.
Vos æternùm igitur, Stephani, nunc viuite. Namque
AEternum præstant viuere Pierides.
Et vos cum Stephanis æterno fœdere pactæ,
Et Graiæ & Latiæ viuite Pierides.
Tu quoque Musarum cultrix, Musis Stephanísque
Communes colito sedula turba domos.

In Eam cui mortuæ & iam tumulandæ viuus fœtus natus est, ex Valerio Max.

PRægnante infelix amissa vxore maritus,
Vnas dum geminis apparat exequias,
Extinctæ (dictu mirabile) matris ab aluo
Saluus & incolumis prodiit, ecce, puer.
Salue, infans, elate priùs quàm nate, sepulchrum
Cui cunas, vitam mors properata dedit.

Mortua tu verò, superata morte, triumpha,
Post tua nimirum funera facta parens.
Denique tu cunctos inter celebrêre maritos,
Vni cui sobolem mors homicida dedit.

In Romanos Sacrificos.

SI qua tibi, Romane, fides adhibenda, tyranne,
Larua tegit summi quem sacra Pontificis.
Auspiciis cuicunque tuis manus vncta refulget,
Et capitis raso vertice fulget apex,
Quinque vbi conceptas tacito cum murmure voces
Fuderit (hæc siquidem pandere sacra nefas)
Ecce manus medias inter (si credere fas est)
Vera caro euadit qui modò panis erat.
Non igitur te Pontificem nunc dixero, verùm
Carnificem, & patrem dixero carnificum.

In nouam illam, & seculis omnibus superioribus inauditam stellam, cum illa carnificina Gallica nefandissima exortam, AVgusto mense, Anno Domini 1572,

PROGNOSTICON.

ISte nouus nullo metuendus crine Cometes,
Et radians puro cui nitet igne iubar:
Ecquid portendat terris, Deus ille deorum
Nouit, & ostendent tempore fata suo.

Quòd

Quòd si humanæ aliquid poſſunt præſciſcere mentes,
Talia rimari nec mihi ſigna nefas:
Fallor ego, aut ille eſt Ieſſæam qualis in vrbem
Duxit ab Eoo qui priùs orbe Magos.
Et qui naſcenti præluxit, nuntiat idem
Ecce redux reducem rurſus adeſſe Deum.
Huic igitur felix, ô turba applaude piorum,
Herodes, caueas tu tibi quiſquis eris.

CL. V. PETRO PITHEO, qui verſus quoſdam ſuos ægriſomnia vocarat.

AEGriſomnia quæ vocat ſuarum
Hoſtis Pitheus elegantiarum
Nunquam dixero ſomniationes,
Verùm dixero cogitationes.
Bellas, perlepidas, perelegantes:
Quales nempe ſuis bonæ miniſtrant
Sanis & vigilantibus Camoenæ.
Quibus nec vetus ille ſomniator
Aſcræus ſua comparare poßit,
Sacro ſomnia ſomniata monte:
Et quales ſibi cogitationes,
Quiſquis mente ſapit, velit venire
In mentem vigili atque ſomnianti.
Non hæc Pitheus ergo ſomniauit,
Quæ quum credidit eſſe ſomniata,
Fuit Pitheus ipſe ſomniator.

Quòd si se negat ipse somniasse,
Isthæc somnia quando somniauit,
Quantò est certius euidentiúsque,
Nunquam talia somniaße quenquam,
Tantò est certior ipse somniator:
Vt qui somnia somniata credat,
Quæ sunt somnia somniata nunquam.
O felix vigilánsque somniánsque,
Qui simul vigilésque, somniésque:
Quàm doctus vigilare somniando,
Tam doctus vigilando somniare.

DE P. MELISSI SCHEDII, Franci, insignibus, tribus videlicet liliis, partim aureis, partim argenteis, expresſis.

TIbi lilia conuenire Franco,
Francæ lilia consecrata genti,
Non est qui meritò neget, Meliße.
Sed quum lilia candor ille purus
Grata præcipuè ac venusta reddat,
Qui fit virgineum, rogo, vt nitorem
Intactæ niuis æmulum nitorem,
Vllo diuitis vt libet metalli
Sic tandem violaueris colore?
An quòd (maxima factitare pridem
Sicut pars hominum ferè aßueuit)
Sit candòre animi tibi innocentis

Argentum

Argentum pretiosius vel aurum?
Nequaquam, puto: quum meo Melisso
Nil sit candidiúsve, puriúsve:
Immò quòd tibi candor ille purus,
Candor ille animi sit innocentis,
Quod argentum aliis, quod est & aurum,
Quos inanis opum cupido ludit.
Ergo viue diu, & vale, Melisse,
Dúmque argento alij incubant & auro,
Tu veris fruitor bonis beatus.
Sic longùm vigeántque floreántque
Candidißima lilia ista florum,
Candidißime, mi Melisse, tecum.
Et nouos quoque gignito Melissos,
Noua & lilia, lilia ista gignant.
Sic longùm videántque floreántque
Canis lilia cana cum Melissis.

E Græco.

Diuitiis fruitor, tanquam moriturus, & idem
Tanquam victurus parcito diuitiis.
Felix qui vitæ & mortis sic diuidis annos,
Vita tibi vt condat, Mors tibi promat opes.

In Superbos, argumento ex moro domestica sumpto, quæ intra quinquennium mirabiliter excreuit.

TEnelle nuper surcule, domini manu
In arboris spem consite,
Iam nunc virentes arbor attollens comas,
Nostrúmque inumbrans hortulum.
Quàm nostra sorte vita fertur dispari!
Nam tu vires, ego marceo:
Tu Solis æstus & rigorem frigorum
Nudo cacumine despicis:
At me vrit æstus, vrit & frigus, licet
Fultum remediis vndique.
Frondescis, at ego canui: tu sydera,
Ego tumuli specum peto.
Ite ô superbi, ite ô caduci homunculi,
Ipsæ arguunt vos arbores.

In Catelli domesticas, agrestibus quidem & melancholicis ineptas, vero tamen vsu non parùm suaues delitias.

CAtelle simule, mi Catelle patule,
Quo nec deliciæ sunt mage deliciæ:
Loquaculis spirans amorem ocellulis,
Queîs nec blanditiæ sunt mage blanditiæ.
Catelle

Catelle, crispulis decenter auribus
Tristitias omnes exhilarare potis.
Catelle, cuius ipsa etiam iracundia
Sedari quauis protinus ira queat.
Catelle, cuius dominus iram & gaudium
Ipse tuo vnius temperat arbitrio.
Catelle, cauda blandientis verbere,
Omnem abigens domini pectore mœstitiam.
O si illecebra fortè carminis pari,
Vah, possem illecebras æquiparare tuas.
O si ipse potius homo creatus non canis,
Esse Deo possem quod mihi tute canis:

In Missam imitatio Politiani.

MIssam dicit Aruns, melior missam facit Aulus,
Nam minus est multò Dicere quàm Facere.

In Ebriosos.

BElidas fingunt pertusa in dolia vates
Mox effundendas fundere semper aquas.
Nomine mutato narratur fabula de te,
Ebrie, quæ meias qui sine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria, quòd sint
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

THEODORVS BEZA, annum vitæ iniens climactericum LXIII. hæc ſcribebam; huius vitæ ſatur, alterius cupidus: XXIV. Iunij, Anno vltimi temporis CIƆ. IƆ. LXXXII.

LVx natalis aue, ſenos repetita per annos
Decies, tribus ſuperadditis:
Quos ego, quantumuis per deuia deuius errans,
Tamen peregi haud auius.
Dic verò, noſtræ procul hinc an meta ſenectæ,
Vel duriora nos manent?
Verùm ô ſtultius ego, qui te hæc arcana repoſcam,
Quum ſeipſa non norit dies.
Siue autem voluendus adhuc, ſiue annuus iſte
Sol me reuiſit vltimus,
O Deus, hoc Bezæ facilis concede precanti:
Tege quod fuit, quod erit rege.

In diem natalem Clariſſ. viri, & ſpectatiſſ. pietatis ac doctrinæ D. IOANNIS IACOBI GRYNÆI, Baſilienſis Eccleſiæ fidi Paſtoris ac Doctoris, quadrageſimum primum annum, quum hæc ſcriberentur, ingredientis.

SAluete Octobres iterúmque iterúmque Calendæ,
Nulla quibus toto fulget lux clarior anno.
Nam reliquas nobis Sol luces aduehit ortus,

Tu contrà

Tu contrà alterius nobis noua lumina Solis
Grynæi magni natalibus orta dedisti.
Quem Deus vt cœli nascentem vidit ab arce,
Viue, infans, inquit, viue: & crescentibus annis,
Ingenio, & cunctis veris virtutibus auctus,
Helueticis tutare meos feliciter oris,
Inde meum toto sparsurus nomen in orbe.
Dixerat: applausit læto cui murmure cœlum.
Vos igitur saluete iterúmque, iterúmq; Calendæ,
Et quater vt denis simul octonísque diebus
Fulsistis, vestro faustè sic semper alumno
Centenas minimùm luces implete reuersæ.

PAVLO QVARTO, Pontifici Romano.

PAne & aqua Paulus contentus vixerat olim,
Quum traheret rubræ syrmata longa togæ:
Hic idem ingluuiem dapibus nunc pascit opimis,
Cuius nunc onerat terna tiara caput.
Miraris factum? mirari desine, Roma,
Iußisti esse lupum qui fuit antè canis.

IN ROMAM, Poëmate Germani Audeberti Aurelij, pulcherrimè descriptam.

SAxea quæ fuerat, cœlúmque solúmque lacessens,
Et mole iam grauis sua,
Conciderat, solísque diu visenda ruinis
Semet iacebat obruens.

Hæc (mirum dictu) chartacea facta resurgit,
Tantóque stat viuacior,
Artificum quantò cunctorum scalpra, poëtæ
Morti domitrix vincit manus:
Marmoráque exuperant quantò prædura tabellæ
Vatum exaratæ pollice.
Struxeris ergo tuæ simulachrum, Romule, Romæ,
Auguste, quod polineris:
At (vestra liceat mihi dicere pace Quirites)
Romam Audebertus condidit.

In accuratissimam Chronologiam, ab eruditissimo Theologo ABRAHAMO BVCOLZERO editam, & ante vltimam operi tanto manum impositam, mortuo.

TEmpora dinumerans, indefessóque labore
Orbes retexens temporum,
Perplexa euoluens, & clara in luce reponens
Altis tenebris obruta,
Sicne opere in medio, nos, Bucolzere, relictos
Sursum profectus deseris?
At te parte operis liceat plus dicere laudis
Iustæque adeptum gloriæ,
Quàm nimiùm multos, operis quæ falsa peracti
Imago pridem decipit.

IN GV-

IN GVLIELMI SALVSTII Heptameron, Gallicum poëma, æterna memoria dignum.

HEbdomas vna, Deo verbum genitale loquuto,
Nascente mundo vt extitit:
Sic repetens certo septena volumina gyro,
Mensésque & annos metiens,
AEuum impertitur mundo, sese hacce fatenti
Hebdomade natum viuere.
Huius ad exemplar dum nobis, docte Salusti,
Hebdomada condis alteram,
Sic fateor, nobis mundus non nascitur alter:
Illum sed vnum conditum
Sic nobis totum enarras diuinitus, alter
Penè eius vt sis artifex.
Hinc prior vt mundi primis natalibus orta,
Mundo coæua permanet,
Sic tua posterior natalibus orta secundis,
Nunc te perennat hebdomas.

IN CL. V. STEPHANI PASCASII, in Senatu Parisiensi Aduocati, imaginem, manibus carentem.

QVàm bene, Pascasi, tua qui depinxerat ora,
Addendas picto noluit esse manus!
Seruati ore tuo nam quum sint mille clientes,
Nemo ex mille tibi sensit adesse manus.

In Symbolum CL. V. IACOBI MONAVII, patricij Vratislauiensis,

DEVS FACIET.

PRomißi Deus est auctor: quidnã ambigis amens?
Promittente opus est sint rata cuncta Deo.
Qui bene cuncta facit, fecit, faciet quoque porrò.
Dißimilis nunquam scilicet ipse sui.
Cœpit opus, præstabit opus: namque vnica quicquid
Inchoat ista manus, perficit ista manus.
Et facit ipse vnus: quanuis quod perficit vnus,
Alterius faciat sæpius ipse manu.
Sic igitur faciet cuncta vt tua vota precésque
Res superet tandem tota peracta tuas.
Sic (inquam) faciet, tibi si fortè optio detur,
Vt fieri haud aliter, quàm velit ipse, velis.
Tu verò interea facito facienda vicißim,
Illius & nutu sic tua facta rege:
Vt rectè quoties tu quicquam feceris olim,
Auctorem hunc operis noueris esse tui.

IN CL. V. FELICIS PLATERI, Basiliensis poliatri, domum, tanto domino dignissimam.

HAnc quisquis, hospes, aspicis domum, domum
Si te videre fortè credis, falleris.

Nam

Nam quicquid orbis continet dignum aſpici,
Quæ continet domus, domum cur dixeris?
Vin' aëris, vin' æquoris, ſeu fluminum,
Vin' orbis vniuerſa quâ patent ſola
Stans intueri vno in loco miracula?
Mentem hîc habes, oculos habes quod expleat.
Quid amplius? quod iure mireris magis,
Iſtius herus & artifex domus, domum
Et nomine & reapſe Felix anteït:
Homo artium omnium, omnis homo ſolertiæ.
Felicis vt domum & hominem ſi videris,
Non iam domum, ſed orbis epitomam in domo,
Hominéque in vno homines bonos, induſtrios,
Et eruditos penè cunctos videris.

IACOBVS LECTIVS Theodoro Bezæ.

PRuna manu tibi lecta mea quæ paucula mitto,
Villa dedit parco Burdiniana ſinu:
Quæ Pomona tuo non diſplicuiſſe palato
Si ſcierit, plenis deinde dabit calathis:
Nec tamen inficior, longè, mi Beza, probari
Iudicio malim carmina noſtra tuo.
Spero equidem. Exiguã qui vix mihi præbet Apollo
Parcus aquam, plenis deinde daret cyathis.

THEODORVS BEZA, Iacobo Lectio Iurisconsulto, & patricio Geneuensi.

QVæ mihi misisti, Lecti lectissime, pruna,
Pruna tua ipsius quæ mihi lecta manu,
Vt placuêre suo mihi degustata sapore,
Sic placuêre tua quòd mihi lecta manu.
Sed placuêre magis quæ lecta Heliconis in hortis
Docta serta tua sunt mihi missa manu.
Esto igitur nobis Helicon, mónsque ipse bicornis,
Quæ tibi villa priùs Burdiniana fuit.

EIDEM.

IMmeritum quòd me dignaris nomine Phœbi
Accipe, mi Lecti, qua ratione probem.
Obstruit interdum ceu Phœbi lumina Phœbe,
Sic Phœbe esto mihi, sim tibi Phœbus ego.

In Classem Hispanicam, omnium quæ vnquam in Oceano extiterunt, tum nauium numero, tum rebus omnibus instructissimam, diuinitus ad Anglicanæ classis conspectum profligatam.

STrauerat innumeris Hispanus nauibus æquor,
Regnis iuncturus regna Britanna suis.
Tanti huius rogitas fuerit quæ causa duelli?
Impulit Ambitio, vexit Auaritia.

Quàm

Quàm bene te, Ambitio, mersit vanißima, Ventus,
Et tumidos tumidæ vos superastis aquæ!
Quàm bene raptores orbis totius Iberos
Hausit inexhausti iusta vorago maris!
At tu, cui venti, cui totum militat æquor,
Regina, ô mundi totius vna decus:
Sic regnare Deo perge, ambitione remota:
Prodiga sic opibus perge iuuare pios,
Vt te Angli longùm, longùm Anglis ipsa fruaris,
Quàm dilecta bonis, tam metuenda malis.

De Poëmate Clariss. V. IOANNIS PASSERATII, Regij bonarum literarum in Academia Parisiensi Professoris: cuius inscriptio est NIHIL.

PAce mihi liceat, sapientes, dicere vestra,
Qui factum ex nihilo dicitis esse nihil.
En qui vos verbis, qui vos ratione refellat,
Et quiddam faciat quod fuit antè nihil.
Quiddã (inquã) ex nihilo faciat, quo credere quidquã
Grandius, aut etiam fingere velle, nefas.
Immò, quod mirum magis est, qui misceat vnà
Sic alicui nihilum, sic aliquid nihilo,
Vt confirmet idem simul esse, aliquídque nihilque,
Et neutrũ esse probet, quod sit vtrumq; tamen.
Mirus homo, Nihil esse aliquid statuénsve negánsve,
Quódq; negat statuens, quod statuítq; negans.

Sequitur illud ingeniosissimum, & inscriptum NIHIL,

Poëma CL. V. IOANNIS PASSERATII, Regij in Academia Parisiensi Professoris.

Ad ornatissimum virum ERRICVM MEMMIVM.

IAnus adest, festæ poscunt sua dona Kalendæ,
Munus abest festis quod possim offerre Kalendis.
Siccine Castalius nobis exaruit humor?
Vsque adeò ingenij nostri est exhausta facultas,
Immunem vt videat redeuntis ianitor anni?
Quod nusquam est, potiùs noua per vestigia quæram.
Ecce autem partes dum sese versat in omnes
Inuenit mea Musa NIHIL, nè despice munus.
Nã NIHIL est gẽmis, NIHIL est pretiosius auro.
Huc animum, huc igitur vultus aduerte benignos:
Res noua narratur quæ nulli audita priorum.
AVsonij & Graij dixerunt cætera vates,
AVsoniæ indictum NIHIL est Græcæque Camœnæ.
E cœlo quacunque Ceres sua prospicit arua,
Aut genitor liquidis orbem complectitur vlnis
Oceanus, NIHIL interitus & originis expers.
Immortale NIHIL, NIHIL omni parte beatum.
Quòd si hinc maiestas & vis diuina probatur,
Num quid honore deûm, num quid dignabimur aris?
Conspectu lucis NIHIL est iucundius almæ,

Vere NIHIL, NIHIL irriguo formosius horto,
Floridius pratis, Zephyri clementius aura:
In bello sanctum NIHIL est, Martísque tumultu:
Iustũ in pace NIHIL, NIHIL est in fœdere tutũ.
Felix cui NIHIL est, (fuerant hæc vota Tibullo)
Non timet insidias: fures, incendia temnit:
Sollicitas sequitur nullo sub iudice lites.
Ille ipse inuictis qui subiicit omnia fatis
Zenonis sapiens, NIHIL admiratur & optat.
Socraticíque gregis fuit ista scientia quondam,
Scire NIHIL, studio cui nunc incumbitur vni.
Nec quicquam in ludo mauult didicisse iuuentus,
Ad magnas quia ducit opes, & culmen honorum.
Nosce NIHIL; nosces fertur quod Pythagoreæ
Grano hærere fabæ, cui vox adiuncta negantis.
Multi Mercurio freti duce viscera terræ
Pura liquefaciunt simul & patrimonia miscent,
Arcano instantes operi, & carbonibus atris,
Qui tandem exhausti damnis, fractíque labore,
Inueniunt atque inuentum NIHIL vsque requirũt.
Hoc dimetiri non vlla decempeda possit,
Nec numeret Libycæ numerum qui callet arenæ:
Et Phœbo ignotũ NIHIL est, NIHIL altius astris.
Túque, tibi licet eximium sit mentis acumen,
Omnem in naturam penetrans, & in abdita rerum,
Pace tua, Memmi, NIHIL ignorare videris.
Sole tamen NIHIL est & puro clarius igne.
Tange NIHIL, dicésque NIHIL sine corpore tãgi.

Cerne NIHIL, cerni dices NIHIL absque colore.
Surdũ audit loquitúrque NIHIL sine voce, volátq;
Absque ope pennarũ, & graditur sine cruribus vllis.
Absque loco motúque NIHIL per inane vagatur.
Humano generi vtilius NIHIL arte medendi.
Ne rhombos igitur, neu Thessala murmura tentet
Idalia vacuum traiectus arundine pectus,
Neu legat Idæo Dictæum in vertice gramen.
Vulneribus sæui NIHIL auxiliatur amoris.
Vexerit & quanuis trans mœstas portitor vndas,
Ad superos imo NIHIL hunc reuocabit ab orco.
Inferni NIHIL inflectit præcordia regis,
Parcarúmque colos, & inexorabile pensum.
Obruta Phlegræis campis Titania pubes
Fulmineo sensit NIHIL esse potentius ictu:
Porrigitur magni NIHIL extra mœnia mundi:
Diíque NIHIL metuũt. Quid lõgo carmine plura
Commemorem? virtute NIHIL præstantius ipsa,
Splendidius NIHIL est, NIHIL est Ioue denique (maius.
Sed tẽpus finem argutis imponere nugis:
Ne tibi si multa laudem mea carmina charta,
De NIHILO NIHILI pariãt fastidia versus.

IN LVDOVICI MASVRII Poëma De Babylonis ruina.

DVm Masuri grande ore tonas Babylona ruẽtem,
Cantata est quanta Troia nec ipsa tuba:

Est quod

Est quod Mæonides, est quod tibi maior & ipso
Mæonida, inuideat forsitan ipse Maro.
Error in hoc tamen est, Masuri, quòd carmine tanto
Mansuram æternùm quam ruis ædificas.

In Horrendum parricidium aduersus HENRICVM IIII. Galliæ & Nauarræ Regem, attentatum, à IOANNE CASTELLO, Parisiensi, Iesuitarum discipulo, & iisdem consciis hoc parricidium aggresso.

HEnrici iugulum Regis, quo Gallia rege
Perstat adhuc, peteret quum scelerata manus:
Auersans scelus hoc tantum, qui celsus ab alto
Fata hominum iusta cum ratione regit.
Henrici à iugulo, gladium conuertit in ora.
Cœpto impar: sed enim sic quoque grande nefas.
Quod luit ille sua, mox, latro morte scelestus.
Et Reges curæ quis neget esse Deo?
Quem si, Henrice, coles, quémnam vereare? scelestis
En sua perdendis sufficit vna manus.

In illum Parricidam grauissimo quidem, sed iustissimo supplicio affectum.

VVlneribus vulnus puniri pluribus vnum,
Sæuitiæ non est cur videatur opus:

Vulnere nam quanuis vnus peteretur in vno,
(Diuina auertit quod scelus vna manus)
Gallia Rege tamen quum salua sit omnis in vno
Omnis in hoc caso sic peritura fuit.
Adde quòd vnius non hæc sunt artibus acta,
Sed sceleris consors est scelerata cohors,
Iesum, inquam, mentita cohors, qua fretus Iberus,
Affectat reliquas totius orbis opes.
Ah potiùs sceleri pœna vt respondeat vltrix,
Ipse tuum & nostrum, Christe, tuere decus.
Sic, ô Rex verum verè venerator Iesum,
Sic Regem agnoscat Gallia salua suum.

Fœdissimi Sathanæ excrementi, id est, nouæ illius sesquimonachorum sectæ, auctore IGNATIO MARRANO, sacrosanctum Iesu nomen, abdicato Christianorum cognomento, ementitæ, vera ϑέσις.

CHristus homo, Iesúsque Deus, sunt vnus & idem,
Vna suum agnoscit quem sacra turba caput.
Non tamen ex Iesu, sed Christi ex nomine ductum,
Sanctorum cœtus nobile nomen habet:
Quâ Deus est etenim & solus Seruator Iesus,
Hoc soli nomen vendicet ipse sibi:
Sed quâ Christus homo est, tot eo cognomine fratres
Dignatur toto sunt quot in orbe pij.

Disce

Disce igitur, Lector, quánam ratione recenter,
Ista sit ex Iesu nomen adepta cohors,
Horribiles furias ex imo iusserat Orco,
In mundum acciri vindicis ira Dei:
Quas Erebo emittens, procul ab Iesu ite, scelestæ,
Dixerat inclamans térque quatérque Sathan,
Quum pater illarum accurrens Ignatius ille,
Ate cui admixto nomen ab igne dedit,
Accipio omen ait, procul ab Iesu ite, propago
Digna patre, ab Iesu vos procul ite meæ.
AB JESV ITE dehinc hominũ volitãte per ora,
Hinc factum vt nomen duxerit ista cohors.
Et certè falsorum inter tanta agmina fratrum,
Tam procul ab Iesu non ijt vlla cohors.

In duplices Apostatas, id est, repetitos Romanos Pseudocatholicos.

AD nostros Româ Cahierus venerat olim,
A nostris Romam nunc, Cahiere, redis.
Sic vomitum canis, & repetit lutum amica luto sus:
Cognita diuinis victima neutra sacris.
At tu, quo fiunt porcíque canésque magistro,
Christi habitæ sancto de grege nuper oues,
Quum bis Romanus sic fiat Apostata duplex,
Pœna & par sceleri debeat esse suo,
Et noua fabrorum tibi turba accesserit, illa
Perfida sub Iesu nomine tecta cohors,

Perge, Satan, donec damnato structa labore,
Sint bis Romanis tartara bina tuis:
Scilicet vt, Romam porcis canibúsque fugatis,
Mundities mundo sit sua salua gregi.

In Papæ ZACHARIÆ epistolam, ad BONIFACIVM Episcopum, Germaniæ Septentrionali destinatum.

GEns inculta diu Arctoa Germana sub ora,
Se pauisse feris barbara fertur equis:
Quæ Christum amplecti, posita feritate, parata,
Baptismi sacras quum rogitaret aquas:
Baptizentur, ait super illis Papa rogatus:
Parcere, vt immundis, sed iubeantur equis.
Nempe sibi metuens, ne gens hæc effera fortè,
Concessis asinos addere vellet equis.

ESAIÆ SADEELI, Antonij Sadeelis Magni F. votum à Theodoro Beza conceptum.

ESaïa, magni Sadeelis sanguine crete,
Accipito exoptat quæ tibi Beza tuus.
Si quæ sint rogites, dicam omnia maxima paucis,
Opto vt sis tanto digna propago patre.

IN ROMAM.

ROMA AMOR est inuersus, amans quæ odisse decebat,
Auersans quæcunque Deus, vel mandat honestas.
Tu cuicunque Deus, morúmque probatur honestas,
Romanam inde fidem & Romanos noscito mores.

In Arcem Pontificiam, quam S. Angeli vocant, olim Hadriani Cæsaris sepulchrum.

CAEsareos cineres quæ moles clauserat olim,
Arx est Romano nunc sacra Pontifici.
Quam bene! qui mortis nunc est mortalibus auctor
Morti sacratas obtinet ille domos.

AD CL. V. IACOBVM LECTIVM I. C. De Iure, arte æqui & boni.

IVs æqui atque boni quidam quum diceret Artem,
Non æquum sed equum barbarus ore sonans.
Nasutus contrà de circunstantibus vnus:
Hæc si ars, inquit, equi est, ars sit & ista bouis.
Sed nimis indignum est, hæc ars æquíque boníque,
Seruire vt bubus vel videatur equis.
Sed magis hoc miserũ est, quòd sint præsepia multis,
Quæ fuerant legum pulpita, nunc asinis.
Sint tua doctores, Lecti, qui exempla sequantur:
Redditus & fuerit Legibus omnis honos.

In Clauum & Clauem.

MAgna inter Clauum & Clauē concordia vocum,
Sed maior in re affinitas:
Clausa aperit Clauis, penetrat quæque obuia Clauus:
Magno illa, magno hic vsui:
Sic quot transfossus Clauis palmásque manúsque
Est Christus olim pensilis:
Ecce patet misero totidem ceu Clauibus orbi
Reserata cœli regia.

In librum Poëmatum Clariss. V. IACOBI LECTII I. C. & Senatoris sapientissimi, eiusdémque sacri Musarum Sacerdotis.

LEx quod amicitiæ, tua quod lectissima virtus,
Quod ipsa poscit veritas,
Conabar præstare tibi, quum noster Apollo
Sic me vocatus, increpans,
Ecquid, ait, furiose paras? Lucem addere Soli
Quis mente sanâ cogitet?
Sic ille. At contrà, ne me, inquam, Phœbe, putato
Furoris istius reum.
Obsecro, qui exorto gratatur lumina Soli,
Num Solis accendit iubar?
Hæc ille, hæc & ego: quæ dum versamus vtrinque,
En carmen hoc abortij.

Hanc

Hanc tibi quo geminam gratatur Beza coronam,
Votis tuum communibus
Quâ cinxere caput, Themis hinc, hinc dîus Apollo,
LECTI, coæterna tibi.

In Serenissimam Heroïnam, ELIZABETHAM, Dei gratia, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam virginem.

SI totum quiddam sunt fœmina vírque reuincti,
Dimidium est quiddam fœmina iuncta viro.
Atque vt dimidium non sit quæ est coniugis expers,
Dimidium fieri, sit modò nupta, potest.
Talis es imperitans populis Regina Britannis,
Imperij exemplum nobile virginei.
At cur sic innupta manens? quia nempe repertum
Debuit esse priùs par tibi dimidium.
Adde quòd es quiddam virgo Regináque Totum.
Cui par siue impar iungere Dimidium,
Non ex dimidiis fuerit componere Totum,
Sed Totum quod erat reddere Dimidium.
Ergo quod es, longùm potiùs, Regina, maneto,
Virginea gestans sceptra Britanna manu.
Túque illa longùm regnante, Britannia, felix,
Virginea duci te patiare manu.

PAVLO MELISSO Franco, Æmyliæ Iordanæ Palatinæ, Carmen Nuptiale.

Vixerat Aonidum cœlebs contentus amore,
Annis Melissus pluribus.
Qui nunc AEmyliæ correptus amore venustæ,
Transiuit eius in sinum.
Ne tamen, Aonides, vestrum sic esse Melissum
Vobis ademtum credite:
AEmyliam potiùs sic vobis addidit ille:
Adiuncta vestro quæ choro,
Tot pariet vates quot erit paritura Melissos:
Queis nil erit mellitius.
Tot pariet Musas quot erit paritura Melissas:
Queis ἀμυλώτερον *nihil.*
Hoc sperare iubet, certo velut omine, nomen
Et ille & ista quod gerit.
At tu, quæ charo gratus Beza optat amico;
Deus benignè perfice.

ÆMYLIO MELISSO, Pauli Melissi ex lectissima vxore Æmylia F. Carmen γενεθλιακόν.

Omine quã fausto AEmyliã Venus alma Melisso
Iunxerit, en felix exitus ipse probat.

Hos

Hos etenim ſanctè per mutua gaudia iunctos
Annua vix rediens viderat illa dies:
En aliam AEmyliam nobis, aliúmque Meliſſum,
Mox vno in puero reddidit alma Venus.
Fortunate puer, patrio cui melle lepôres
AEmylia adiuncto miſcuit ipſa parens:
Et quem materno condîta lepôre Meliſſus
Mella inter genuit, melleus ipſe pater.
At tu, Chriſte, iſtos iſto cum melle lepôres
Melle tuo condi, merge lepôre tuo.

Carmen παραμυθητικόν. Exhortatio ad amiciſsimum quendam, tunc pro Chriſti nomine, captiuum, & paulò pòſt conſtantiſsimè mortuum.

QVæ priùs immenſi quâ quâ patet area cœli,
Libera qua voluit parte volabat auis,
Clauſa licèt caueæ tam ſtricto carcere, ſortis
Nec commutatæ ſigna dat vlla ſuæ,
Nec captiua ſilet, toto ſed gutture læta
Innumeris variat cantica mille ſonis.
At tu, pro Chriſto qui corpore clauſus, apertas
Mente vides cœli liberiore fores,
Et vitæ certus longè melioris, Olympi
Penè ipſo calcas limina ſacra pede,
Num vel corde pauens, vel mœſtus voce ſilebis?
Nec potiùs facies quæ tibi monſtrat auis?

In Gentilitia Generoſi Domini VENCESLAI ZASTRISELLI inſignia.

QVod longis ab auis tibi, Venceſlae, relictum
Rubente ſpacio lilium pictum geris,
Puniceo galeam velo exornante, rubentes
Micante penna inter gemellas candida,
Quid moneat, nec me, ſpero, dixiſſe pigebit,
Audiſſe nec te pœnitebit forſitan.
Mentis candorem purum color indicat albus,
Mentis vigorem fulgidus notat color.
Hæc duo qui verè ſapiens moderatur, vtrumque
(Tuo quod ipſe polliceris ſymbolo)
Laudando impendens Chriſto, patriæque tuendæ,
Orbe hunc beabit ſparſa toto Gloria.
Immo ſuis Pietas hunc duplex euehet alis,
Longè ipſa ſupra ſumma cœli ſydera.

Carmen 'ἐπιθαλάμιον CL. V. AMANDO POLANO à Polendorff. S. Theologiæ in Academia Baſilienſi Doctori, & MARIÆ GRYNÆÆ D. IACOBI GRYNÆI, primarij Eccleſiæ Baſilienſis Paſtoris filiæ.

AMande reipſa, Amandus ipſo vt nomine,
Polane, rectam qui poli doces viam,
Nunc ſponſe, ſalue: &, iſta quod ſponſalia
Concepta ſancto pollicentur omine,

Nunc

Nunc ex Amando Amatus esto coniugi.
Salue & , Maria, tui quæ amaritudinem,
Grynæa dicta, tollis omnem nominis,
Amanda multas nuper inter virgines,
Nunc sponsa, Amando Amata sis mox coniugi.
Saluete & ille, & ista, & vnà gignite
Seclis Amandos atque Amatos omnibus.

THEODORVS BEZA, in annum suum septuagesimum exactum.

SEptenos decies transegi, mi Deos, annos,
Quos dum seco in minutias,
Et recti ad normam tam longæ tempora vitæ,
Vt factum oportet, exigo:
Heu, delictorum numerum pondúsque meorum
Inire nec ego sum potis.
Quem si fortè ineas, vah, quanto optatius esset
Non esse natum, aut mox mori?
Finitum tamen est deliqui, Maxime, quidquid,
Numerare quanuis nesciam.
Horrendæ sed enim pœnæ, guttæque cruoris,
Quas ille fudit innocens,
Seruandis natus miseris, & crimina fassis,
Numero carent & pondere.
Spes igitur miserum fouet hæc me sola, futurum
(Sperare vt ipse me iubes)
Innumeræ luerint numerosa vt crimina pœnæ,
Soluta nec, Deus, exigas.

THEODORVS BEZA, Ioanni Paludio.

HAbere meritò quos ames quamplurimos
Si bella res est, est & illud pulchrius,
Habere meritò à quibus amêre plurimos.
Ergo Paludi, cui hoc vtrumque contigit,
Te perbeatum iure quidni dixerim,
Bonos amantem omnes, bonis charum omnibus?
Non ergo nudè, vt antea, Paludius,
Pulchro sed auctus dicitor cognomine
φιλόφιλος, *ipsis vsque & vsque posteris.*

Eidem Ioanni Paludio, Philophilo.

PRognatos inter Iessæo sanguine Reges,
Præ reliquis fuerit quàm deneger ille Manasses,
Pagina sacra docet, non absque horrore legentum.
Idem autem, quantum ô quantum mutatus ab illo,
Captus & adstrictus duris hinc inde catenis,
In mediam cernens sese Babylona repulsum,
Antè suis suetus solio sublimis ab alto
Reddere subiectis populis tot iura per annos,
Quas lachrymas, gemitus quantos, suspiria quanta
Fuderit, expreßis totidem sacra pagina verbis
Non docet: at legimus non certo auctore relata,
Sancta tamen, quæ si non fuderit ipse Manasses,
At Deus ipse illi poßit dictasse videri.

Hero

Heroo nuper quæ quum tibi texta, Paludi,
Carmine perlegerem, laudaui, & sic ego mecum
Ipse loquens, vtinam Deus, inquã, Maxime, nunquã
Vel talis nostro nascatur in orbe Manasses,
Vel si natus erit, paucos aut regnet in annos,
Aut alter fiat, mutata mente, Manasses.

Ioannes Paludius Philophilus Theodoro Bezæ.

BIs pueros, dixere senes. oppono senectam
Bezæ ego Nestoream: bis mihi Beza vir est.

Beza Ioanni Paludio Philophilo.

BIs tibi Beza vir est, Nũ quòd bis Beza maritus,
Nulla probat proles quem tamen esse virum?

Ioannes Paludius Philophilus pro valetudine Bezæ.

QVi tibi seruiuit tot, Christe, fideliter annos,
Ipse tua Bezam, quæso, tuêre manu:
Serua seruatum toties, maioráque passum:
Non iræ signum Crux, sed amoris habet.
Viuat, qui viuit nulli grauis, omnibus vsu:
Viuat, qui viuit, maxime Christe, tibi.

Th. Beza Ioanni Paludio Philophilo.

QVos plures annos optas mihi, chare Paludi,
Annis adiungi rectiùs opto tuis.
Nam tibi restat adhuc operosæ portio vitæ:
At mihi iam tumulum sera Senecta parat:
Opta igitur potiùs portum mihi, ceu tibi vitæ
Currentis placidum Beza precatur iter.

Io. Paludius Philophilus Th. Bezæ.

BEza tuus toties rediit Natalis, habebis
Perpetuæ vitæ non procul ergo diem.
Seriùs hic veniat, redeat sed sæpius alter,
Prodesse vt poßit sæpius ille piis.

Th. Beza Io. Paludio Philophilo.

LVx mihi natalis toties totiésque reuersa
Nuntiat extremum non procul esse diem.
Nuntius ô felix! Nam dignam hoc nomine vitam
Quæ mihi lux istam finiet, incipiet.
Hanc igitur tardam ne Bezæ optato Paludi,
Ne te Beza φίλων deneget esse φίλον.

IN AM-

IN AMPHORAM anum ebriosissimam, casu, quum lacu Lemanno veheretur, submersam.

AMphora quæ meruit parto cognomine dici,
Plena mero semper, nec satiata mero,
Ebria fortè parans tumidum sulcare Lemannum,
In mediis vitam lapsa reliquit aquis.
Atque illam sanè quanuis insueta bibentem
Pocula, quum mediis immoreretur aquis.
Credibile est hilarem tamen interiisse bibentem,
Cui mage non placuit Viuere quàm Bibere.

In N. Agasonem, repentè Abbatem factum.

SOrdidus ad Domini stabat qui nuper equile
Repentè Monachis factus Abbas nunc præest.
Fallor, an est istud dici quod sueuerat olim,
Ab equis ad asinos quempiam transcendere?

CL. V. IOHANNI POSTHIO, in Electorali Palatinatu Archiatro.

EN, Posthi, tibi pessimus poëta,
Nugas Beza dat optimo poëtæ,
Auctoris similes profectò nugas.
Hoc est, nec lepidas, nec elegantes:

Sed quales pote ſcriptitare verſus,
Elumbes puta, flaccidos, vietos,
Exſucto ingenij vigore vates.
Quas ſi fortè tibi tamen vacabit,
Vel lectas ſemel expolire nugas,
Fient carmina quæ fuêre nugæ.

In veros veri Dei cultores.

O Te beatum, quem Dei regens timor,
Timere cætera prohibet:
Cui, ſeu procellis voluitur furentibus,
Seu placida radit æquora,
Pectus nec vlla palpitat formidine,
Nec ſortè turget proſpera:
Intentus vni qui placere numini,
Prodeſſe quærit omnibus!
Sed tanta tam paucos, rogo, cur æmulos
Sortitur hæc beatitas?

EIVSDEM TH. BEZAE EPIGRAMMATA, QVÆ peculiari nomine ICONAS inscripsit.

LVCRETIA.

POLLVTVM est corpus: mihi mens verò integra mansit.
Et non ex isto corpore casta fugis?

In eandem.

SI fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immeritò ex merita præmia morte petis.
Sin potiùs casto vis est allata pudori,
Quis furor alterius crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas, Lucretia. Nanque
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

ALEXANDER MAGNVS hausto veneno moribundus.

POst Persas fusos quæsitásque orbis habenas,
Armis non potui cedere, cedo dolis.

M. BRVTVS αὐτόχειρ.

DIuitiis vti licuit cum Cæsare partis:
Ferre necem possum, non potui Dominum.

ARISTOTELES, MICHAELI XENII, Galliarum Cancellarij, vultum penitus referens.

TAlis Aristoteles vultúmque habitúmque fereba
Sculptoris docta nunc rediuiue manu.
Pars autem illa tui melior, melioribus olim
Expressa in tabulis, nec peritura, manet.
Sed quid opus sculptísve fuit scriptísve tabellis?
En viuo in XENIO viuit Aristoteles.

CARDINALIS PETASATVS & purpuratus.

SEmiuiros quicunque patres radiante galero
Conspicis, & rubræ syrmata longa togæ:
Crede mihi, nullo saturatas murice vestes,
Diuite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides, sanctorum cæde virorum,
Et mersa insonti tota cruore madent.
Aut, memor istorum quæ celet crimina, vestis,
Pro dominis iusto tacta pudore rubet.

IVLIV

IVLIVS TERTIVS PAPA.

TErtius ad mensam quum Iulius ille sederet,
Impia quem potuit Roma nec ipsa pati,
Tres visus pelues interdum habuisse paratas,
Vt triplici triplex vase leuaret onus.
Vna alui pondus, vomitum altera peluis habebat,
Tertia vesicæ concipiebat onus.
I nunc, Pontifices, Germane insane negato
Omnia posse suo promere iura sinu.

PYTHAGORAS.

LAudent vitam alij suam loquendo,
Virtutem ipse meam probo tacendo.

XENOPHON, læua calamum, dextra gladium gestans.

QVid Marti & Musis, Xenophon? Sic vicimus olim
Barbariem gladio, barbariem calamo.

VERA RELIGIO.

QVænam, age, tam lacero vestita incedis amictu?
Religio, summi filia vera Patris.
Cur vestis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hîc? Patris verba sacrata mei.
Cur nudum pectus? decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? crux mihi grata quies.
Cur alata? homines doceo super astra volare.
Cur radians? mentis discutio tenebras.
Quid docet hoc frænum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego?

IN ERASMVM, cingulo tenus depictum.

Ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν' Ἀσκραῖος ἔειπεν,
Ἥμισυ δή, ὡς οἶμαι, τοῦτο λογισάμενος.

De eodem.

INgens ingentem, quem personat orbis Erasmum,
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari desine lector:
Integra nam totum terra nec ipsa capit.

In diluuium picta tabula expressum.

QVas hominum intulerant terris cōtagia sordes,
Vos olim vltrices abluebatis aquæ:

At quum

At quum nunc terras, quum totius æquoris vndas
Polluerit maius quàm fuit antè nefas:
Quid superest, cœlò nisi missus vt ignis ab alto,
Ipsas cum terris deuoret vltor aquas?

IOHANNES CALVINVS.

HOc vultu, hoc habitu Caluinum sacra docentem,
Geneua felix audiit.
Cuius scripta pij toto mirantur in orbe,
Ringentibus frustra impiis.

Vixit laudatiss. annos LIIII. menses X. dies XVII. Mortuus religiosissimus, Anno vltimi temporis cIↃ. IↃ. LXIIII. Die Maij XXVII.

SIMON GRYNÆVS.

TE quicunque, Simon Grynæe, aspexit, amauit,
Splenduit in vultu gratia tanta tuo:
Te quicunque, Simon Grynæe, audiuit, amauit,
Facundo fluxit tantus ab ore lepos.
Amplius at cur non audire & cernere fas est?
Scilicet hoc fati vis inopina vetat.
Immo fallor ego. Nam sint paucissima quanuis
Ingenij nobis scripta relicta tui,
Te spectamus adhuc, te nos miramur in illis,
AEternóque manes dignus honore, Simon.

Obiit Basileæ ex peste, Anno Domini cIↃ. IↃ. XLI. Anno ætatis XLVIII. Calendis Augusti.

DIDO αὐτόχειρ.

DIſcite Didonis caſu viduæ, atque puellæ,
Quæ ſoluat ſtultis præmia ſtultus amor.
Et quæ ipſi quondam vates docuêre prophani,
Ex ſcriptis pudeat non didiciſſe ſacris.

Huius horrendi ſimul, & ſingulari exemplo memorandi caſus hiſtoriam, ſummo artificio, ab artifice ſummo depictam, potiùs quàm deſcriptam, à me verò non infeliciter, fortaſſe, Gallicis ſenariis rithmis expreſſam, ſubiicere hîc libuit, eo quem in illo tetraſticho notaui fructu, amatoribus legendam atque meditandam.

CÆDES DIDONIS αὐτόχειρος à Virgilio deſcripta, Æneid. lib. iv.

AT trepida & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciẽ, maculíſque tremẽtes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus perrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos: enſémque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.
Hîc poſtquam Iliacas veſtes, notúmque cubile
Conſpexit, paulùm lacrymis & mente morata,
Incubuítque thoro, dixítque nouiſſima verba.

Dulces

Dulces exuuiæ, dum fata deúsque sinebant,
Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.
Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi:
Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.
Felix, heu nimiùm felix, si littora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.
Dixit: & os impressa thoro, Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait, sic sic iuuat ire sub vmbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat: atque illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites, ensémque cruore
Spumantem, sparsásque manus.

Translation Françoise de la mort de Dido,
Par Theodore de Beze.

MAis Didon tremblottant, & d'vn afreux visage,
Tesmoignant le dessein d'vn terrible courage,
D'vn teinct entremeslé en ses iouës tremblantes,
Rouant de ses deux yeux les prunelles sanglantes,
Et desia de la mort prochaine toute pasle,
Se iette au plus profond de sa maison royale,
Et pleine de fureur, d'vn grand pas eslancé,
Monte iusqu'au plus haut de ce bois entassé:
Prend le glaiue Troyen, le desgaine de faict,

Qui n'estoit point (helas) donné pour cest effect.
Là, voyant deuant soy les vestemens de Troye,
Recognoissant son lict, s'arreste toute coye
Larmoyant, & pensant vn bien petit espace,
Puis dit ces derniers mots, deuant qu'elle trespasse.
Agreable despouille, autant que l'ont permis
La fatale ordonnance, & les Dieux mes amis,
Ores reçoy ceste ame: & de tant de souci
La deslie vn bon coup. I'ay vescu iusqu'ici:
I'ay le cours accompli ordonné pour mon aage:
Soubs terre maintenant ira ma grand' image.
I'ay construict & fondé ceste belle cité:
I'ay veu mes murs bastis: l'horrible cruauté
Contre mon feu mari par mon frere exercee,
Ie puis dire auoir veu suffisamment vengee.
Heureuse & trop heureuse (helas) si de mes ports
La flotte des Troyens n'eust onc touché les bords.
Acheuant ce propos se iette sur sa couche,
Et tenant sur le lict imprimée la bouche,
Cōmēt? mourrōs-nous dōc, sans nous vēger? (dit-elle)
Mais mourons. Car la mort, mort me plaist toute telle.
Ce feu cest inhumain hume de la mer haute,
Presage par ma mort des peines de sa faute.
Ainsi elle parla, quand ses Dames l'ont veuë
En parlant sur le fer desia toute estendue:
Çà là battant des bras, & du sang escumant,
Apres le coup mortel, le glaiue tout fumant.


EMBLEMATA.

Circulus. I.




PRINCIPIVM *in tereti quæris quicunque figura,*
Principium inuenies hîc vbi finis erit.
Sic Christum vero quisquis reuereris amore,
Quæ vitam hora tibi finiet, incipiet.

Circulus cum centro, & duplici hinc inde Diametro. II.



CErnis vt hæc mediū cingat teres vndiq; punctum
Linea, & hinc spatio distet & inde pari?
Scilicet illa refert quod nos tegit vndique cælum,
Tellurem hoc punctum quod tenet ima notat.
Cur igitur doleas? quorsum dic, quæso, labores,
Tu, patriâ pepulit quem pietatis amor?
Cælum si versus tendis, quocunque recedas,
Hinc spatio cælum cernis & inde pari.

Cubus intra circulum. III.



STare cubum in tereti cernis quicunque figura,
Hinc vitæ verum discito cautus iter,
Mores illa docet teretes, hic figere iussa
Te iubet immotos in statione gradus.

Vellus

Vellus Aureum. IIII.



AVrea, mendaci vates non vnicus ore,
Vellera Phryxeæ commemorauit ouis.
Aureus es verè, Christe, agnus, diuite gestans
Has verè veras vellere solus opes.

Faber incudem ipſam tundens. V.



SCilicet incudem inſanit qui frangere duri
Conetur ictu mallei.
Et non inſanit Chriſto qui perdere ſacra
Se poſſe ſperet agmina?

Phœnix intra flammas. VI.



PHœnicem, si vera ferunt, mors ipsa refingit,
Huic sit vt vnus aui vitáque mórsque rogus.
Ite, ô carnifices, Sanctorum sancta cremate
Corpora, quos vultis perdere flamma parit.

Spectatores, mensam dapibus & poculis onustam taciti spectantes. VII.



NIl spectasse dapes, nil deglutisse iuuabit,
Hæc nisi ventriculi cuncta calore coquas.
Sic cœtus spectasse pios, diuináque verba
Audisse, attenta nil licet aure iuuat,
Hæc nisi percipiátque fides, imóque reposta
Pectore, diuino freta calore coquat.

Ænea

Ænea machina, intecto igne dissiliens in iaculatoris perniciem. VIII.




CErnis vt in cœlum fuerat quæ machina torta,
Fit iaculatori mors properata suo?
In sanctos quicunque Dei ruis, impie, seruos,
Conatus merces hæc manet vna tuos.

Globus, è nubibus, tenui filo, quod Dei manus tenet, ſuſpenſus, Eccleſiam deſignans. IX.



PInge globum tenui quem libratum vndique filo
Sustineat ſummi Numinis alta manus.
Talis es vrbs Chriſti de nomine dicto beato,
Qua nil firmius eſt, mobiliúſque nihil.

Equus ſeſſore excuſſo currens. X.



QValis eques rapido nemoroſa per auia curſu
Corruit, effræni præcipitatus equo:
Corpore tu, quemcunque Deus, vel mente, beauit,
Talis es, ipſius te niſi fræna regant.

Homo ad mensam edens & bibens. XI.



QVicquid edis, quodcunq; bibis, moriatur oportet,
Vt inde vita suppetat:
Et nos à Christi quod vitam morte petamus,
Philosophe rides impie?

Dolium

Dolium ruptis circulis dissiliens. XII.



SOluuntur compacta licet bene dolia, firmis
Constricta ni sint circulis.
Sic legum pœnis quæ non firmata tenetur,
Corruat oportet ciuitas.


Homines duo aduerſo itinere incedentes, vnus antecedentem, alter à tergo vmbram habens. XIII.



SEctantes velut vmbra fugit, fugientibus inſtat,
Addita corporibus ſcilicet vmbra comes,
Sic fugit immeritæ captantes præmia laudis,
Demiſſis contrà Gloria iuncta comes.
Et tamen haud falſo trutinata examine, quidnam
Laus hæc omnis erit? ſcilicet vmbra leuis.


Hydro-

Hydropicus potans. XIIII.



IN iustè partis opibus si fortè beatos
Putas auaros, falleris.
Epotis auidè lymphis quis posse beari
Hydropicos existimet?

Auis rupta cauea euadens. XV.



Libera ceu volucris, caueæ mox carcere clausa,
Libera confracto carcere rursus abit:
Liber homo natus, mortis dein clausus in antro,
Rursus abit Christo liber ad astra duce.

Nauis in portu impingens. XVI.



TOta viden' ventis expandens vela secundis,
Vt perit optato littore mersa ratis?
Hæc tu mente notes, cui sors aspirat amica,
Hæc eadem ne te quæ vehit vnda ruat.

Domus vndique arcendis ventis clausa. XVII.



OBiectis ventos foribus, clausisque fenestris,
Estque etiam tota mos prohibere domo.
Ast aures, oculique, hæ sunt vtrinque decebat
Quas Satanæ clausas opposuisse fores.

Faber

Faber ferrum lima terens, & Rusticus messem flagellans. XVIII.



QVod duro lima est ferro, meßique flagellum,
Auro quod ignis est rudi:
Hoc tibi, si sapias, crux est, licet aspera: quisquis
Cœlum Deo petis duce.

Annulus pretioſa gemma ornatus. XIX.



QValis quæ fuluo circumdata cernitur auro
Gemma nitens, radio ſplendidiore micat:
Talis formoſo ſplendens in corpore virtus,
Neſcio quod prodit conſpicienda decus.

Canis

Canis Lunam allatrans. XX.



LVna velut toto collustrans lumine terras,
Frustra allatrantes despicit alta canes:
Sic quisquis Christum allatrat, Christíve ministros,
Index stultitiæ spernitur vsque suæ.

Viator ventum ſlantem obiecto pallio inhibere ſtudens. XXI.



QVis ſapere hunc credat, ſeſe qui poſſe vetandis
Ventorum credat ſlatibus eſſe parem?
Stultior at quantò eſt ſeſe qui poſſe loquentis
Obſtruere inſanus Numinis ora putet?

Mare ventis agitatum, & Rex hinc Pontificem Romanum ad dextram, inde Cardinalem ad ſiniſtram habens. XXII.



TRanquilli immotíque priùs velut æquoris vndas
Vnica ventorum vis agitata ciet.
Sic mundum meretrix Romana. Hanc tollite, Reges,
Pacatus ſubitò (credite) mundus erit.

Moles Adriani, hodiè Castrum S. Angeli.
XXIII.



CÆsareos cineres quæ moles clauserat olim,
Arx est Romano nunc sacra Pontifici.
Quàm bene qui mortis nunc est mortalibus auctor,
Morti sacratas obtinet iste domos.

Homo

Homo cœlum verſus ſpuens. XXIIII.




CErnis vt hic cœlum fœdo qui conſpuit ore,
Non cœlum, imò ſuos conſpuit ipſe ſinus?
Et tu cœlorum Domini contemptor, in illum
Non quod verba iacis, tot tibi probra vomis?

Pueruli domunculas ex ſtipulis & aſſulis conſtruentes. XXV.



LVdicra ridemus fabricantes tecta puellos,
Ex ſtipulis ſtructum qui meditantur opus:
Quid melius plerique agitis, vaniſsima vitæ
Quos huius miſeros noxia cura premit?

Circulus ex connexis ſerpentibus contextus, &c. enſe cælitus vibrato ſectus. XXVI.



HI colubris colubri, criſtas tollente Ceraſte,
Conferti pariter, ſinuoſa volumina quorum
Dextra ſecat, gladium cœli quæ librat ab arce,
Quos ſignent rogitas? Satis & re & nomina notos:
Quos Satan (armauit iuſti quem Numinis ira
Terrarum exitio) funeſto exciuit ab Orco.
Aſt hominum tandem ſortem miſeratus acerbam,
Exerto verbi Chriſtus nunc diſſecat enſe.

Alius vas plenum, alius vacuum, replentes.
XXVII.



CEu vacuum facilis vas est implere laboris,
Quod vero est plenum velle replere furor:
Sic cuius diuina animum sapientia cœpit,
Et vitæ inuasit quem melioris amor.
Aut vacuam humanis, homo, mentem sensibus adfer:
Stultitiæ plenus vel remaneto tuæ.

Vipera

Vipera ex vtero matris rupto erumpens.
XXVIII.



VIperei exedunt ceu matris viſcera fœtus:
Sic quos ipſa ſuo fouit alumna ſinu,
Roditur, heu, nimium ſanctorum Eccleſia multis!
At non euentu, nec ratione pari.
Vipera nam ſalua infelix prole interit, illis
Hæc contra extinctis non peritura manet.

Homo roſas decerpens. XXIX.



IN cauto quicunque roſas collegerit vngue,
Vix vnquam illæſo legerit vngue roſas:
Hoc ſapite exemplo locupletes, plurima namque
Hiſce latent veſtris ſpicula mixta roſis.

Porcus ſtercore, aſinus carduis veſcens.

XXX.



STercora quod porcis, Aſinis quod carduus, hoc eſt,
Barbaries Noſtris aſinis porciſque Magiſtris.

Ingens cacabus, Satana ignem vrgẽte despumans, & cœlitus delapsis aquis subinde repletus. XXXI.



EN Satan accensis hinc inde vt torribus vrgens,
Sic tandẽ absumi spumantẽ hunc, stultus, ahenum
Posse putat, lapsus complet quem cœlitus humor.
Sic liceat nobis sanctorum effingere sortem,
Quos Satanas, variis hinc inde laboribus instans,
Exercet, frustra seséque suósque fatigans.
Ecquis enim tutus, nisi quos fidúsque poténsque
Tutatur cœli Christus qui considet arce?
Perge, Satan. Nam quò torres ardentius omnes
Accendes, tantò mage despumaris ahenum,
Purior vt tandem fundo esca appareat imo.

Crocodilus

Crocodilus vnus fugientem perſequens, & alter hominem perſequentem fugiens. XXXII.



NIliacus qualis ſerpens fugientibus inſtat,
Inſtantes fugiens quamlibet antè ferox.
Sic vetus ille Draco, ſæuus mortalibus hoſtis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

Statuæ. XXXIII.



NIl mirum est statuas vos commendare libenter,
Ipsi quum sitis, Pontifices statuæ.

Aqua

Aqua in dolia pertuſa infunditur. XXXIIII.



BElidas fingunt pertuſa in dolia vates
Mox effundendas fundere ſemper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te,
Ebrie, quæ meias qui ſine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat turba ebria, quòd ſint
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

Religio. XXXV.



QVænam ſic lacero veſtita incedis amictu?
Relligio, ſummi vera Patris ſoboles.
Cur veſtis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hic? Patris lex veneranda mei.
Cur nudum pectus? decet hoc Candoris amicam.
Cur innixa cruci? Crux mihi ſola quies.
Cur alata? homines doceo ſuper aſtra volare.
Cur radians? mentis diſcutio tenebras.
Quid docet hoc frenum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego.


Plena

Plena Luna Soli aduersa. XXXVI.




FRaternis luna vt radiis aduersa refulgens,
Pleno coruscat lumine:
Sic Christi obiectos spectans Ecclesia vultus,
Splendore lucet integro.

Luna Soli opposita, & interiectu terræ deficiens. XXXVII.



LVnam interueniens ceu terræ corpus opacum,
Atra inficit caligine.
Sic interueniens hominum sapientia, purum
Ecclesiæ infuscat iubar.

Luna Soli subiecta, lumen illius terris eripiens. XXXVIII.



LVna velut fratri propiùs coniuncta, perisse
Stultis videtur funditus,
Quæ tamen admoti spectans tunc lumina Solis,
Ipse refulget clarior.
Sic periisse pii vulgo qui morte videntur,
Absit perisse dixerim,
Ipso qui potiùs Christo propiore potiti,
Quod quæsierunt obtinent.

Nauclerus naue perfossa sese cum suis & ipsa naue submergens. XXXIX.



IN sanum hunc quicunque vides seséque suósque,
Rate perforata mergere,
Ah, quàm vera vides! nam quod pictũ aspicis, horum
Viua est imago temporum.

Sceleratus

Sceleratus supplicium natando euadis, tandem crematur. XXXX.



Vidi ego carnificis metuentem verbera sæui,
Qui medias sese Ligeris proiecit in vndas,
Et quanuis sudore madens, expérsque natandi
Fluminis euasit pede calcans ima profundi,
Quem mox non vna pœnas pro cæde luentem
Vidimus impositum torreri viscera flammis.
Hæc age dispicito rectæ qui tramite vitæ
Deserto, magis atque magis periturus oberras:
Nam quò tardior est, grauior fit numinis ira.

Cœlum tonans ſimul & pluens. XXXXI.




CEu rutilis idem qui diſsilit ignibus æther,
Fœcundas grauido pectore fundit aquas:
Vita fide ſic Chriſtus erit tibi vera receptus,
Spretus at hic idem mors tibi Chriſtus erit.

Homo, dum per glaciem inambulat, illa diſſiliente periens. XXXXII.

ADſtricti glacie niti qui fluminis audet,
Haud rarò glacie diſsiliente perit.
Hoc ſapite exemplo iſtius quos commoda vitæ
Innumeris fallunt lubrica cuncta modis.


Ceruus alatus, auribus, cauda, & cornibus carens. XXXXIII.



ADde alas: aures, & caudam, & cornua ceruo
Tollito: depictum ſic tibi tempus erit.
Tempore nanque nihil currit velocius vno,
Nec ſemel elapſum quo reuocetur habet.

Homo

Homo campanam pulſans. XXXXIIII.



AEra graui cunctos veluti campani ſonore,
Ipſa licet penitus ſint ſibi ſurda, cient:
Sic es recta docens alios, peruerſa ſequute,
Quique aliis ſapiens, non ſapis ipſe tibi.

Inſignia Theodori Bezæ.



AVratæ impoſitos claui tres ordine flores
Cæruleos cernens, Bezarum ſtemmata gentis
Hinc diſce, æternos Cœli quibus itur in hortos,
Vnius Chriſti reſerari limina claue,
Claue crucis per iter Chriſtum monſtrãte ſequendum,
Sanguineò quod planicies docet iſta rubore.

CATO CENSORIVS CHRISTIANVS.

THEODORI BEZAE

CATO CENSORIVS CHRISTIANVS.

IN SVPERBOS.

HEVS fronte torua, naribus ſonantibus,
Sublimibus oculis, repando corpore,
Ipſóque greſſu pauo qualis inambulat,
Teſtans inanem totus arrogantiam:
Quînam Omne ſe eſſe ſomniat qui ſit Nihil?
Et deerit huius ſcilicet ſuperbiæ
Vindex, ab alto contuens te vertice?
Cunctator iram qui ſuam ſi differat,
Quis te hîc ferat, ferre impotentem cæteros?

IN OTIOSOS.

AT tu, otiari cui vnicum eſt negotium,
Spectare ſueto, nil agendo, cæteros,
Viden' rotatu ſupera ferri perpete?
Ventos ruentes aëris per areas?

Aquas perenni defluentes impetu?
Æquor reciprocis æstuare fluctibus?
Ipsúmque stabile permanens licet solum,
Induere formas tam subinde dispares?
Hæc cernis, inquam: nec tuam coargui
Sic suprà & infrà cogitas ignauiam?
Audi ergo, stulte, audire si tibi vacat,
Natus labori quum sit homo, non otio.
Quies labore redimitur, non otio:
Peius nec vllum est otio negotium.

IN EOSDEM.

Mortalium si nemo nascitur otio,
Vrbem ô beatam, curat in qua sedulus
Quod quisque ritè nactus est negotium.

IN AMBITIOSOS.

Obsecro qui, montis conscenso vertice, captas
Alterius versum culmina montis iter:
Nec cessas montes adiungere montibus vnquam,
Quo tibi sic fuerit tempore parta quies?
Scilicet, vt poßis ipsos transcendere cælos,
Cæli etiam cedet regia tota tibi,
Augebitve tibi terras qui condidit orbem,
Hanc expleturo non tamen orbe sitim.

Immò vel nunquam viuus potiere cupitis,
Vel miser ascendens, Ambitiose, rues:
Exstinctóque tibi, cui viuo haud sufficit orbis,
Seni sufficient, Ambitiose, pedes.

IN MENDACES.

IGnota Cælo, & ipsi Falsitas Solo,
Illísque cunctis ille quæ rerum parens
Adstricta seruat veritatis vinculo:
Sed grata solis (proh scelus) mortalibus,
Omnis magistra fraudis & versutiæ,
Quamplurimorum in corde & ore considens.
Impunè in ipsos Principum irruens thronos,
Clamosa Iudicum occupans subsellia,
In officinis, in tabernis personans,
Sacris & ipsis impudens ex pulpitis
Sursum, deorsum, sancta vertens omnia:
Nunquámne mundo nisi ruente concides?
Nam dia cuncta ceu tuetur Veritas,
Sic cuncta dira Falsitate corruunt.
Regna ergo, regna quamdiu Deus sinet,
Mundi hoc merente falsitate Falsitas,
At, pauculi vos, Veritas quibus placet,
Perstate fortes, Numinis freti manu.
Nam tempus aderit, Mundus atque Falsitas
Quum pariter vno corruent sic impetu,
Vt illa Mundum, & Mundus illam pertrahat.

IN

IN GARRVLOS

QVum fari decuit, tacere velle:
Velle, quum decuit tacere, fari:
Humanis duo sunt cauenda summè
Priuatis mala publicísque rebus.
Ex istis sed enim malis duobus,
Malim quæ potuit loqui tacentem,
Quàm quæ non decuit loqui loquentem.
Nam sunt quæ pateant tacendo multa,
Et dici potuere sæpe multa,
Quæ sunt temporibus suis tacenda.
Ergo aut discite, garruli, tacere,
Aut toto semel exulate mundo.

IN NVGACES.

IRrequieta suo quum voluant tempora motu
Sydera, & incertum currat mortalibus æuum,
Quo semel exacto, sit numinis ante tribunal
Præteritæ ratio vitæ reddenda seueri,
Quid vos nugando vitam exegisse iuuabit,
Inuitos cogent quos ad tam seria nugæ?

IN ADVLTEROS.

VIs orbem exscindi? subuertito funditus vrbes.
Vis vrbes ipsas tollere? tolle domos.

Vis delere domos? careat fac coniuge coniux,
Vnáque sint sancti fœdera coniugij.
Ergo perire domos, vrbes, orbémque necesse est,
Orbe vel expelli quisquis adulter erit.

IN THEOLOGOS VLTRA MODVM PHILOSOPHANTES.

QVæ voce nobis prodidit Deus sua,
Ratione sciri nec queunt humanitus,
Vanis sophorum somnians insomniis
Vel posse nosci, vel doceri certius:
Id est tenebris lucem egere cogitans,
Princeps haberi dignus est amentium.
Mendacium nam veritas coarguit:
Sed veritatem non probat mendacium.

IN PERIVROS ET BLASPHEMOS.

IVrare Numen, Numen est solio in suo
Locare, partim vt abditorum conscium,
Suæque partim vt veritatis vindicem.
Scienter ergo, falsa vel per Numina,
Falsúmve iurans, scis quod admitas scelus?
Certè in Dei throno, Dei hostem collocas,
In Veritatis pulpito Mendacium.
Nec huius in caput supera ruetis omnia?
Nec infera huius concidetis sub pedes?

At

At te, ſceleſto quolibet ſceleſtior,
Ipſum ore Numen qui laceßis impio,
Vt ſceleris vnum inexplicabilis reum,
Exſpectat vni pœna nota Numini.

IN EPICVREOS.

HOminem ore præferens, ſed intus beſtia,
Quauis ſtolidior beſtia,
Téne intueri poſſe ſyderum faces,
Tanto meantes ordine?
Calcare terræ téne non pudet ſolum,
Et tot ſoli miracula?
Spectare téne reciproci æſtus æquoris,
Et tot manantes belluas?
Et, iſta Numen Optimum atque Maximum
Quum cuncta cunctis nuntient,
Oppedere iſtis velle te tot teſtibus,
Vt nota cunctis neſcias?
At, inquis, iſta ſi Deus ſic condidit,
Nutúque dirigit ſuo,
Cur eſſe miſeros tot bonos ſinens, malos
Florere contrà cernimus?
Immò bonis quum cuncta cedant optimè,
Quum cuncta peßimè malis,
Malis quod eſſe bene putas, illis malè eſt:
Bonis quod eſſe malè, benè eſt.

Immò fateri sanè oportet optimum,
Toties pepercit qui tibi.

IN ASSENTATORES.

LAudare immodicè, laudari si qua merentur,
Virtutum honesto tegere turpia nomine,
Ut recto auertit sanas à tramite mentes,
Ex improbis sic reddit homines pessimos.
Assentatores fugiat quicumque veretur
Ultrò perenne accersere sibi dedecus.
At quanto satius monitorem audire seuerum,
Laudare parcum, liberalem carpere!

IN EBRIOSOS.

VOs farciendo deditos abdomini,
Mortem haurientes vnde vitam cæteri,
Quos mane primum, seráque videt vespera
Mensæ aßidentes, poculísque grandibus,
Infame donec sitis intuentibus,
Fœdam vomentes crapulam, spectaculum:
Homines quis esse credat istis vultibus?
Liuentibus tot fronte picta pustulis?
Naso pyropis tot madente marcidis?
Cingente limbo oculos rubentes coccino?
Oculis fluore turgidis vinaceo?
Rictu madente? diffluentibus genis?

Vos

Vos immò quisnam compararit bestiis?
Namque ebriosas nemo vidit bestias.
Qua sorte dignos ergo vos censebimus?
Hac scilicet. Viuos vt ebrietas suos
Afficere pœnis quibus amatores solet,
Vos vsque & vsque strenuè distorqueat,
Tumulóque stratos perpetua premat sitis.

IN SCORTATORES.

Vos ô voluptas quos in hircos & canes
Impura mutat, & meretricum iugo
Turpi subactos, mutuis in sordibus
Obire quæuis adigit impurissima:
Et, coniugalis iura contra fœderis,
Non serere, sed perdere hominum genus docet:
Abite pestes ira iusta Numinis,
Naturáque ipsa quò fremens vos aduocat.

IN AVAROS.

Amore quînam tangeretur Numinis?
Amare quînam mutuo quemquam velit?
Amare quînam velle sese dixerim
Cui sola Numen vnicum est Pecunia?
Qui captat ex re turpe lucrum qualibet?
Qui viuit ipse carnifex sæuus sibi?
Exosus ergo est iure Auarus omnibus,
Vt qui sit hostis Numini, cunctis, sibi.

IN INVIDOS.

Vos inferorum lurido infimo ex ſpecu
Hauſtis venenis pectus omne turgidi,
Nec veſtra ferre qui poteſtis commoda,
Rebus fauere nec bonorum proſperis:
Abire quónam iuſſero vos, Inuidi,
Quos nec pati mundus queat ſuperſtites,
Nec ipſa forſan tartara ferant mortuos!
Nempe eſſe vobis inferorum vt omnium
Inſtar ſoletis, ſemper eſſe pergite.
Et mutuò vos perdite, Inuidi, Inuidos,
Quum miſerius nil eſſe poſſit Inuidis.

IN FOENERATORES.

QVi mutuando de Suo nunquam Tuum,
Sed vſque & vſque de Tuo, Suum facit:
Cui, ſterile quod Natura condidit, parit:
Qui dando ſpoliat, erogando colligit:
Nunquam ſerens qui metere nunquam deſinit:
Qui cocta, cruda, deuorat, nunquam ſatur:
Cui, ſiue ſterile, ſiue fertile ſit ſolum,
Fert Luna cenſus menſtruos, Sol annuos:
Vis iſte quis ſit noſſe? Fœnerator eſt,
Quo nulla mundo peſtis eſt nocentior,
Quo nulla mundo peſtis eſt frequentior.

At

At tu seuerus pauperum vindex Deus,
Exedit iste quos suis centesimis,
Fac sapiat, aut raptus tribunal ad tuum,
Centesimo pœnas luat cum fœnore.

IN PSEVDOMONACHOS.

QVis Christū simulās, Epicuri est de grege porcus?
Cui scelus est Pietas, Relligióque iocus?
Nomine quis cælebs implet genitricibus vrbes:
Quis specie pauper, re sua cuncta facit?
Hi sunt infernis quos postquam fouit in antris,
Nequitiæ instructos qualibet arte suæ,
Paulatim, iusta poscente hoc Numinis ira,
Eductos toto sparsit in orbe Satan,
Quos olim monachos, certo nimis omine, dixit
Græcia, cunctorum sunt quia μοῦνοι ἄχος.

IN EOS QVI EX MALO LVCRVM SPERANT.

SI (quod fateri cogit impios licèt
Addicta cuiuis conscientia crimini)
Pendent ab vno cuncta commoda numine,
Vno ecquis vsquam viuit illo stultior,
Qui se boni vllius futurum compotem,
Boni omnis ipso auctore spreto, somniat?

IN PHILOSOPHOS VLTRA MODVM THEOLOGIZANTES.

PRinceps Sophorum qui videtur maximus,
A fine Græcè idem vocatus optimo,
Mundum extitisse semper istum somnians,
Nunquam proinde desiturum credidit.
Res mira, tanto errore lapsum hunc turpiter
Longè sophorum creditum doctissimum.
Immò fieri sic hos probat stultissimos,
Iustum sapere qui nesciant intra modum.

ROTVNDISSIMVM DN. BEZÆ IN adulteros hexasticum ita Græcè vertebat Isaacus Casaubonus.

Εἰς μοιχούς.

Κόσμον ὅλον βούλει ὀλέσαι, πάρος ὄλλυ πόληας.
Βούλει δ' αὖ πόλιας; τοὺς καθ' ἕν αἶρε δόμους.
Ἀλλὰ δόμους ἐθέλεις; μὴ τῷ μέλοι ἔργα γάμοιο·
Μήτε τὰ τῆς εὐνῆς πιστὰ γένοιτο βροτοῖς.
Τοίνυν σωζομένων οἷς μοιχικὰ λέκτρα μέμηλε,
Πᾶς δόμος, ἡ δὲ πόλις, κόσμος ὄλοιτο θ' ὅλος.

IN SENECTAM.

SPerata cunctis, grata sed paucissimis
Senecta præsens, quî fit vt te abhorreant
Quibus beatæ patefacis vitæ fores,
Huius miserias æuitatis finiens?
Terrena præter nempe quòd nil cogitent

Plerique

Plerique rerum nescij cælestium.
Hinc tot querelæ, hinc eiulatus irriti,
Dum tristis iste mortuus viuens senex,
Ceruice tremula, lippientibus oculis,
Rugis arata fronte, terram contuens,
Fallente gressu vix inambulat tripes:
At ille clamat sapere iam nihil sibi:
Noctes diésque tußiens hic peruigil,
Perustus alius febrium caloribus,
Sæuis podagræ vinctus hic angoribus,
Carnifice tortus alius calculo miser,
Inanibus cælum fatigant questibus:
Alia malorum vt multa omittam millia,
Sed illa quid si non Senectæ, sed sibi
Suóque accepta ferre debent luxui,
Hæc iusta cuius pœna sic persoluitur?
Immò vt Senectæ mille adhæreant cruces,
Cruces quis illas iure dixerit malas,
Nosse vnde Numen, nos & ipsos, discimus?
Sanè ergo, quicquid hic vel ille dictitet,
Magnum Senecta est optimi donum Dei:
Siue illa mitis sit, vt mihi, siue aspera,
Bono bene vti nempe si quibus datur:
Quod Beza gratus hoc fatetur carmine,
Tantùm eadem vt esse porrò pergat obsecrans.

FINIS.

ABRAHAMVS SACRIFICANS.

Tragœdia Gallicè à TH. BEZA
iam olim edita, recens verò
Latinè à Ioanne Iacomoto
Barrensi conuersa.

THEODORVS BEZA

IOHANNI IACOMOTO

Fratri ac symmystæ suo charißimo,
Gratiam & Pacem à
Domino.

NARRO tibi, mi frater, quod nunquam mihi in mentem venerat. Scis enim quo loco habere nostros illos, etsi nec, opinor, per se culpãdos, nec prorsus vanos ludos consueuerim. Petiit à me, vel potiùs contendit nobilissimus ille noster Zastrisellus, suasore, credo, Paludio Philophilo nostro, ne Abrahamum illum nostrum sacrificantem, siue Comœdiam ab exitu lætissimo, siue ab argumẽti sanctissimi grauitate Tragœdiam libuerit appellare, diutius paterer ab ea quam procurauit nostrorum ποιημάτων editione disiungi. Respondi quod res est. Istud qualecunque ante annos circiter quadraginta quinque fuisse Lausannæ, vbi

tunc Græcas literas profitebar, nulla ſanè cura, ſed leuiter, vt ludicrum quiddam perſcriptum quod ab illius Gymnaſij iuuenibus de more ſpectandum repræſentaretur, nec fortaſſis iſtud ſcriptionis genus quibuſuis probatum iri. Reſpondit ille ſic tamen iſtud & tum placuiſſe, & multis poſtea probatum, vt & in publicum prodierit, & multis Galliæ locis magno cum applauſu exhibitum, immo etiam non ita pridem ab eruditiſſimo quodam Germanicis quóque numeris fuerit expreſſum, ſeſe denique iis quæ à me dono accepiſſet arbitrio ſuo vt re ſua vſurum. Quod ad ſcriptionis autem genus attinet ſibi quoque videri magnum in tam ſacris rebus eſſe tenendum modum, & omnia religioſiſſimè tractanda, ſed mihi non deeſſe quæ moroſulis nonnullis obiicerem, nempe & ipſius Nazianzeni τὸν χριστὸν πάσχοντα & non paucorum ætatis noſtræ doctiſſimorum virorum in Eccleſiis laudatiſſimis exemplum. Itaque flagitanti cōceſſi quod denegare non potui, ſed ea conditione, vt & Ariſtarcho illi noſtro Lectio res iſta probaretur, & tibi, quemetiam huius ſuæ petitionis conſcium ac penè auctorem laudabat, iſta non ſanè latinè vertenda, ſed tuo vnius iudicio æſtimanda committerentur. Illa igitur tuæ fidei penitus commiſſa ſunto. Adde, detrahe, immuta quidquid tibi videbitur. Quid enim & quantum hîc poſſis, ſi

modò

modò velis, non ignoro,& mihi quidē certè tum demum iſta non diſplicuerint, ſi meum illum Abrahamum cum ſocculis meis prodeuntem,tu cothurnatum gradientem produxeris & hæc non mea,ſed tua potiùs apparuerint. Sed amabo vide etiam atque etiam quomodo iudicioſiſſimo illi tuo Flacco ſatisfeceris, cuius iſtos verſiculos noſti.

Indignatur item priuatis ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Obtrectatorum clamores nihil moror,ad quos iampridem & obſurdui & occallui. Bene vale in Domino.

Geneuæ ex Muſæo noſtro Calendis Ianuarij anno vltimi illius temporis cIɔ Iɔ xcviii. ineunte, qui vtinam piis & bonis omnibus felix illuxerit.

GENEROSÆ ET ANTIQVÆ NOBILITATIS DOM. GEORGIO SIGISMVNDO PRAKSCHICKI A ZASTRISEL, DOMINO BVCHLOVII, SERAVITII, &C. MORAVO.

Ioannes Iacomotus Barrensis.

QVÆ ZASTRISELLI *munera me tibi*
Donare velles nunc redeuntibus
Jani Calendis, annuosque
Sole nouo relegente cursus?
Non poscis aurum, nec virides dari
Gemmas, Auitis cùm niteat domus
Et plena gazis, & vetustæ
Stemmatibus decorata gentis.
Mittam quod olim pectine Gallico
Carmen sonauit BEZA *volentibus*
Musis, recantatumque gestit
Ausoniis fidibus reponi:
Vrbesque ferri per varias, quibus
Sit chara VIRTVS, & SVPERI *timor*
Verus PARENTIS: *quæque puris*
Rebus ament hilarare pectus.
Hîc namque ABRAMI *conspicitur* FIDES
Inuicta cunctis casibus, & potens

Tenta-

Tentationis luctuosæ
Non solitos superare fluctus.
Quum iussus orbis totius ARBITRO
Mactare ISACVM *non renuit* PATER:
Et mentis humanæ repellens
Sensa procul querulosque luctus
Nil esse duxit certius, optimis
Quam REGIS ALMI *nutibus obsequi:*
Vi cuius immensa sepulchro
Vita redit reuocata putri.
Munus probabis: cùm placeant tibi
Quæ scripta cultus egregios docent:
Quæ Iusta monstrant: Quæ pudicas
Expoliunt PIETATĒ *mentes.*
Et fontis vndas CASTALII *&* *specus*
Lauru virentes AONIA *colis:*
Castasque miraris choreas
THESPIADVM, *resonosq; cantus.*
Et celsa PHOEBI *templa* PALVDIO
Ducente gaudes visere, nil pauens
Rupes inaccessas, & alti
Terrificas HELICONIS *vmbras:*
Hinc certioris præmia gloriæ
Quærenda censens, perpetuum & decus,
Quod falce SATVRNVS *rapaci:*
Quod nequeant abolere PARCÆ.
Mox cana formam perdit anilitas

Pallensque febris: nec Iuuenum diu
Durat caducum robur, auctas
Vastat opes, nitidósque census,
Quum veste tectus MARS *adamantina*
Replet cruentis omnia motibus,
Dirisque flammis, & scelesto
Ense furens populatur arces.
Sed dona castæ PALLADIS *haud timent*
Funesta belli damna, nec improbos
Regum furores: temporísve
Inuidiam, rapidosque dentes.
Sic perge, rectos & monitus tui
Ductoris audi: dum tibi florida
Nunc vernat ætas, per labores
Egregios meliora semper
Addisce prudens: clarior vt domum
Tandem remigres, & MORAVVM *vrbibus*
Prodesse poßis, seu sit acri
MARTE *ferox superandus hostis:*
Præstantiori publica seu tibi
Augenda res sit consilio, aut bonæ
Paces iuuandæ, si pudendum
Pœna nefas metuenda perdat.
Non robur auffert cordibus insitum
Doctrina honestis: fortior artibus
CHIRONIS *infestos* ACHILLES
TROIVGENAS PRIAMVMQVE *vicit.*

IN

IN THEODORI BEZÆ Ἀβρααθυσίαν

A Io. Iacomoto versibus elegantissimis expositam.

IAm mõte, fidi quòd generis patrem,
Mandata summi Patris vt audiit
Charâ litantem protinus hostiâ,
Quòd patre dignam progeniem suo
Ipsam obsequentem protinus hostiam
Sacri tuendam das oculis chori:
Quàm ritè factum! quàm bene, commodè,
Quàm congruenter temporibus malis,
Contaminatis, prodigialibus!
Nam quid malorum luxuriantium
Primas scatebras quærimus anxij?
Tantum vnde terris scilicet exteri,
Ciuilis æquè sanguinis vndique:
Quis iste gentes immedicabilis,
Quis iste Reges exagitet furor:
Aut cur suarum perfluat immemor
Natura legum, aut inficiat lues
Perennis auras: mortium imagines
Paßim, & reclusis Tartara faucibus:
Et ipsa ruptis, ô scelus, ô pudor,

Iamiam fathiscant iura repagulis.
Heu prima labes, primaq́ tristium
Origo rerum: nescia Principum
Sperare Regem, nescia credere,
Vero, potenti, nostra proteruitas.
Hæc cæterorum semina criminum,
Hunc fas reatum dicere seculi:
Iustus malorum luxuriantium
Fons unde, & omnis caussa periculi.
Dedêre lustris anterioribus
Hæc nempe Gallum talia præcinem,
Illum, parentis munus Olympici.
Egressa priscum quæ penitùs modum
Nunc nunc Britannis, nunc Latialibus,
Nunc Lusitanis, nunc Calydoniis,
Et vltimarum denique gentium
Egent cothurnis. Viuite perpetes
Par grande Vatum, viuite, viuite:
Piaq́ cincti tempora laureâ
Verum sacratis ISACIVM *modis*
Efferte. Lauri non aliæ magis
Amoliantur fulmina Cælitum.

IAC. LECTIVS.

Argumen-

Argumentum huius Tragœdiæ petitum eſt ex Geneſ. Cap. XXII. vbi hæc leguntur.

1. ET fuit poſt verba iſta, & Deus tentauit Abraham, & dixit ad eum, Abraham & dixit, ecce ego.
2. Et dixit: Cape nunc filiũ tuum vnicum tuum, quem dilexiſti Iſchac: & vade tibi ad terrã Moriah, & fac eum aſcendere ibi in holocauſtum ſuper vnum montium, quem dicam ad te.
3. Et ſurrexit Abraham ſummo mane, & ſtrauit aſinum ſuum, & cepit duos pueros ſuos ſecum, & Iſchac filium ſuum, & ſcidit ligna holocauſti, & ſurrexit, & iuit ad locum quem dixit ei Deus.
4. In tertia die leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit locum de longinquo.
5. Et dixit Abraham ad pueros ſuos: Manete hîc cum aſino: & ego & puer ibimus vſque illuc: & adorabimus & reuertemur ad vos.
6. Et accepit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ſuper Iſchac filium ſuum, & accepit in manu ſua ignem & gladium: & iuerunt ambo ipſi ſimul.

7. Et dixit Iſchac ad Abraham patrem ſuum, &
dixit: Mi pater, & dixit, Ecce ego fili mi, & di-
xit, Ecce ignis & ligna, & vbi agnus in holo-
cauſtum?
8. Et dixit Abraham, Deus proſpiciet ſibi agnum
in holocauſtum, fili mi. Et perrexerunt ambo
ipſi pariter.
9. Et venerunt ad locum quem dixerat ei Deus,
Et ædificauit ibi Abraham altare, & ordinauit
ligna, & ligauit Iſchac filium ſuum, & poſuit
eum ſuper altare, ſuper ligno.
10. Et miſit Abraham manum ſuam, & accepit gla-
dium vt iugularet filium ſuum.
11. Et clamauit ad eum Angelus Domini de cœlis,
& dixit, Abraham, Abrahã. Et dixit, Ecce ego.
12. Et dixit, ne extendas manum tuam ad puerum,
& ne facias ei quicquam, quia nunc cognoui
quòd tu times Deum, & non prohibuiſti filium
tuum, vnicum tuum à me.
13. Et leuauit Abraham oculos ſuos, & vidit, &
ecce aries poſt ſe, detentus in perplexitate ſpi-
narum, in cornibus ſuis. Et iuit Abraham & ce-
pit arietem, & adſcendere fecit eum in holo-
cauſtum pro filio ſuo.
14. Et vocauit Abraham nomen loci ipſius, Do-
minus proſpiciet. Idcirco dicitur hodie, In
monte Dominus videbitur.

15 Et

15. Et clamauit Angelus Domini ad Abraham
ſecundò de cœlo.
16. Et dixit, Per me iuraui, dixit Dominus, quia
pro eo quòd feciſti rem hanc, & non prohi-
buiſti filium tuum, vnicum tuum.
17. Quia benedicendo benedicam tibi, & mul-
tiplicando multiplicabo ſemen tuum, ſicut
ſtellas cælorum, & ſicut arenam quæ eſt iux-
ta littus maris: & hæreditabit ſemen tuum
portam inimicorum ſuorum.
18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gen-
tes terræ, eò quòd obediuiſti voci meæ.
19. Et reuerſus eſt Abraham ad pueros ſuos, &
ſurrexerunt, & iuerunt pariter ad Beerſe-
bah, & habitauit Abraham in Beerſebah.

Personæ.

ABRAHAMVS.

SARA.

SATANAS CVCVLLATVS.

ANGELVS.

ELIEZER.

PASTORES.

ISAACVS.

CHORVS ex Paſtoribus compoſitus.

ACTVS PRIMVS.

ABRAHAMVS.

EX quo relictis finibus patriæ, vagor
Modò huc, modò illuc, quis, precor, mortalium
Maiore iactatur malorum turbine,
Vitámque per plura trahit anxius mala?
Sed, ô supremæ sedis arbiter Deus,
Quicunque me casus fatiget inquies,
Quis viuit vsquam me beatior? Manu
Cui largiore plura commodas bona,
Ex quo tuum sequutus imperium volens
Natale protinus solum fugi, & domus
Limen paternæ, & arua quæ specu inferi
Prognatus obumbrat Error & quibus colunt
Plebes profanæ fabricata Numina?
Sic prosperis aduersa rebus temperas,
Tuósque vbique per varias seruans neces,
Quàm sis parens benignus indicas satis
Supérque cunctis: & velut ex nihilo omnia
Nutu creasti fortiore, sic soles
Mutare bono malum, & tenebras lumine,

Vt quæ tuam sereniore tempore
Humana gens benignitatem non videt,
Hanc liberata tot periclis sentiat,
Et robur almæ laudet vsque dexteræ.
Volucris ecce fluxerant iam iam mihi.
Ter sena lustra æui atque originem inclyta
Magnis opibus florente duxeram domo:
Sed nobiles proauos habentem quid iuuat
Opima poßidere latifundia,
Magnósque honores, si, Patris summi loco,
Potente qui verbo feracem condidit
Tellurem, & immensos polorum fornices,
Quis ligna cogatur dolata, & saxeos
Vocare Diuos, atque pinguioribus
Satiare mutas victimis imagines?
Hæc ergo despexi, meis simul tua
Vox insonuit auribus, & impiis statim
Migrare terris imperasti, nescium
Promissa quæ me rura velles visere.
Verùm lubens quicunque te sequitur ducem,
Iter tenebit rectum, & auiis procul
Erroribus tutas secabit orbitas.

Sara. Abrahamus.

SAR. *Quoties memori reuoluo corde quot bona*
Sis vsque largitus mihi, ter Optime
Parens, viæq; fidus ignotæ comes,

Seu

Seu me laborum coniugis certam pij
Sociam: thorique pacta mutui Abrahæ
Iurata seruantem pudico pectore
Non barbarorum sueris libidini
Seruire Principum, nefas quos incitat
Audere quoduis Cælitum mens nescia:
Seu me prius diu sterilem senilibus
Annis voluisti parere natum, quem tuus
Promisit olim posteris fauor fore
Seclis variarum progenitorem gentium,
Quas vera nitente faustitas cælo manet:
Vox attonita hæret faucibus, nec eloqui
Stupente laudes ore tot dignas tuis
Largitionibus queo, licèt velim.
Tuum tamen vocabo Numen supplices
Tendens ad ætherem manus, téque omnium
Conabor auctorem bonorum dicere,
Hîc sola nunc seruans domum. Non testibus
Preces piorum semper egent: neque mens Deo
Quum pura reddit vota quærit arbitros.
At huc reuerti conspicor meum virum,
Hinc illum abesse longiùs putaueram.
ABR. *Quis tibi subitus genas rubor inficit? Tui*
Quid Sara conspectum vereris coniugis?
Quæ vota supremo parenti reddere
Iamiam parabas, laudo. Fæminas decet
Pias benigni dona cuncta Numinis

Efferre dignis laudibus. Sed particeps
Quum sim bonorum, fas simul communia
Me tecum vbique prædicare munera.
Hoc ergo agamus, atque iunctis mentibus,
Nobis amicos inuocemus Cœlites.

SAR. *Mihi venerande Domine, nihil magis placet,*
Quàm semper illis obsequi quæ iusseris,
Vt fas pudicam coniugi nuptam suo
Parere: nec quidquam esse credo dignius,
Quàm Patris æternam supremi gloriam,
Celsísque lucens arcibus poli decus
Totum per orbem laude summa tollere.

ABR. *Hæc vera sentis, quum melius nihil putas,*
Quàm perpetuo deducere plectro carmina,
Et ora rupto soluere mox silentio,
Quæ facta nimboso tonantis æthere,
Miranda cantent. Nam supero tantum placet
Honor repensus Numini, pro commodis
Quæ pleniore dat manu mortalibus.

Hîc Abrahamus & Sara Deum laudant.

Sunt Patri laudes supero canendæ,
Qui fauens puris bona cuncta turbis
Dat manu plena, trepidóque pressas
Tempore seruat.
Lege qui certa moderatur altos
Syderum cursus, volucrísque solis

Vberes

Vberes lustrat radiante paßim
Lampade terras.
Vt fugax blando renouetur annus
Vere depulsis niuibus, sinúque
Fertili charas calefacta fruges
Explicet æstas.
Vt sua Autumno redeunte poma
Colligant læti patulis coloni
Arborum ramis, grauidísque amœnas
Vitibus vuas.
Et diem iusto properum labori
Destinans, grata vice reddit vmbras
Noctis, & fessos hominum sopore
Recreat artus
Mox pluens pingui rigat imbre campos,
Mox fugans nubes, madidósque ventos,
Stridulis sudi Boreæ serenat
Flatibus auras.
Et maris frenat rabidos tumultus:
Nec suas vltra patitur vagari
Prouidus metas refluo furentes
Æquore fluctus.
Sola te quondam bonitas fauere
Impulit nobis, meritóque nullo
Excitus cunctis pauidos periclis
Liberas, summæ dominator arcis,
Et locis tractos quibus execrandæ

Turpibus placant simulachra vanæ
Ritibus gentes, regis: atque certos
Tramites monstras, facilémque acerbis
Exitum rebus. Duce te per vrbes
Viximus tuti Pharias, cruentæ
Quum fames quondam Cananæa rura
Perderet: sæui neque tunc Tyranni
Insolens nobis nocuit libido.
Sed tuos horrens monitus, mináſque,
Hospites iusſit remeare ad arua,
Quæ bonus spondes, veniente tandem
Sæculo, nostræ soboli daturum.
Vicimus reges, duce te, superbos,
Et graues captæ spoliis Sodomæ
Ditibus turmas: cuneósque forti
Marte deuictos, validis Damasci
Non procul muris, saturare fœdos
Vulturum ventres, Syriæq; gentis
Vidimus lætimaculare fuso
Sanguine campos.
Hæc cuncta præstat mira benignitas
Parentis almi. Fœderis hic memor,
Veráxque semper, postgenitis dabit
Promissa nostris regna. Nefariæ
Non gentis ardor, nec rabies furens:
Nec quicquid audax improbitas mouet
Decreta regis vertet Olympici:

Hæc

Hæc firma cunctis temporibus manent.
At tu profanum vulgus, & impiæ
Timete gentes, tetra quibus tegit
Caligo mentem: Cœlitum & inscius
Error nefandis incitat hostias
Offerre diuis, mortiferum & scelus
Audere quoduis, fœdáque crimina.
Nam summus orbem qui regit arbiter,
Puris piorum protinus annuens
Votis, scelestas vindice dextera
Perdet cateruas, quásque sagax manu
Faber perita finxit imagines.

ACTVS SECVNDVS.

ABRAHAMVS. SARA.

ABR. *QVum mira nobis Cœlitum clementia*
Donarit, vxor, filium, quo tempore
Effœta iam senecta nullam liquerat
Spem prolis ampliùs, superest simul
Vt illius conemur indolem bonis
Formare moribus tenellam, & Numinis
Almi timore vero, vt ocyùs malos
Cœtus nefariorum, & improbæ vitet
Contagia turbæ: testa nam quibus est recens

Imbuta odores seruat: & corrumpere
Ingenia cerea in vitium flecti nihil
Magis potest, scelesta quàm consortia,
Turpíque blandus ore sermo profluens.
Et ceu laboribus subacta sedulis
Fœcundiores terra fructus procreat:
Sic cura si vigil parentum liberos
Excolat, & artibus statim melioribus
Doctrina molles tingat annos, cautior
Iuuenta rectos tramites volet sequi,
Prodesse cunctis, & nocere nemini.
SAR. *Probæ genitricis officio fungar, neque*
Exempla sequar matrum nimis quæ blandulæ
Nihil recusant liberis, verùm annuunt
Quicquid ferociens libido paruulis
Pectoribus illorum expetit, nec duriùs
Vesaniam audent insitam retundere.
Tantùm licere quæ Deus probat sinam,
Et cuncta quæ vetat docebo mox meum
Vitare Isacum. Sed bono me spes iubet
Animo esse: nam cœlestis illum qui Pater
Portare me voluit sterili aluo, & aridis
Lactare mammis, filium hunc, fidus bonas
Vbique deducet per orbitas comes.

Sathanas cucullatus.

Non vllus orbe cernitur toto locus,

Quem

Quem non pererrans vsque lustrem, nec labor,
Nec cura lassat inquies, dum cogere
Mortale quæro sub meum iugum genus.
Fulgente Olympo regna seruent Cœlites,
Modò suum me terra principem colat.
Cœlo phalanges Angelorum promptiùs
Dei capessant iussa summi, dum meis
Subiecta tellus imperiis parens tremat.
Cœlo Deus sedet, solum solus rego.
Est ille pacis auctor, bella concito.
Illi vnio concors placet, mihi iurgia.
Forti creauit ille cuncta Numine:
Maiora præsto quum Deos plures creem.
Cœlo corusca luce fulgidi nitent
Altúmque circumstant Dei thronum Alites:
At purpurata turba seruorum mihi est,
Queis ora rubra clariùs gemmis micant,
Auróque quod rutilis probatur ignibus.
Est impudens cohors togæ cui syrmata
Oblonga velant corpus, & rasum tegunt
Caput cuculli, cui popinæ, cui gula,
Cui plena scortis lustra salacibus placent;
Sunt infulati Antistites, vestis quibus
Odora nardo fragrat, & liquoribus,
Quos diues Indus vendit, Arábsque decolor:
Quibus smaragdis grandibus graues manus
Sudant, & auro, queisque lautioribus

Onusta semper mensa fumat ferculis:
Hæc cuncta nobis obsequuntur agmina,
Suísque regna nostra factionibus,
Et imperij basim perennem fulciunt.
An, quæso, quicquam mirus artifex Deus
Se maius ipso condidit? Verùm edere
Peiora mihi portenta quam ipse siem datum est,
Et quotquot ima Dæmones colunt loca.
Regnare cæli sede celsa iudicem
Totius orbis vnicum noui Deum,
Qui dextera rubente solus torqueat
Flammas, & horridos trisulci fulminis
Tonans fragores mittat æthere, & truci
Verberet agrestium labores grandine:
Nec impotentes me procellas viribus
Meis per æquor excitare concitum,
Piceósque turbines per arua, ni priùs
Annuerit ipse magnus omnium arbiter.
Et dira me licèt malignitas agat
Per turpe quoduis præcipitem scelus, tamen
Scio paratam cœtibus vitam bonis,
Auferre quam non vlla poßint tempora:
Scio paratam cœtibus mortem malis,
Nullísque finienda seclis tormina.
Sed terra plurimos suo sinu fouet
Vbique mortales, quibus meis dolis
Mens fascinata pluribus mauult Deis

Seruire,

Seruire, quos dolauit artificum manus,
Quàm reddere vni vota pura Numini.
Et sunt furor quos tantus occupat, Deum
Vt esse pernegent: & illa cuncta censeant
Ridenda vani cordis esse somnia,
Quæ fabricasse machinam immensi docent
Orbis potente Cœlites nutu: & regi
Mundum ambiguæ non sortis impetu vago,
Sed mentis æternæ sacratis legibus.
Quid? puniendis nulla culpis Tartara,
Crucésque nullas esse post fatum putant,
Nec vlla pias manere turbas præmia.
Hæc ipsa monstra opinionum cordibus
Mortalium inseui, statim ex quo fraudibus
Meis Adamus implicatus inclyta
Imagine supremi parentis excidit.
Incœpta promouere pergam, nec modum
Ponam impigris laboribus, donec mihi
Cucullus iste seruiet, nondum quidem
Notus, sed olim pagus omnis, oppida
Domúsque cunctæ sentient, quantum meos
Augere fines possit, atque commoda.
Fatalis, ô, Cuculle, damna quot feres!
Quot impudica facta, quot teges dolos!
Quot ficta opinione sanctimoniæ
Damnabis æternis miseras cruciatibus
Gentes! Quot inter orbis audax principes

Duella concitabis, & motus feros:
Ni liuor, odiúmque inexpiabile,
Et dira me cupiditas impelleret
Tentare cunctos mecum eiſdem inuoluere,
Culpis homines, paribúſque pœnis ſubdere,
Illorum acerba tot miſereſcerem mala.
Quid pluribus eſt opus? hũc cucullũ ex quo indui,
Me peior ipſo factus, ecce iam magis
Mortalium nocere genti cogito.
Sed iſta ſeclis cuncta fient poſteris,
Nunc aggredi Abramum paro: ſolus mihi
Nam bella mouere cum ſuis audet: neque
Mea iuſſa vult ſequi, nec vmbroſos pauet
Lucos, nec idolis ſuas fundit preces,
Nec thura, nec molas, nec hoſtias cremat.
Et cæterarum exempla temnens plebium,
Suum propriis honorat cultibus Deum,
Iam ſæpe ſum fruſtra illum adortus, nam meis
Reſiſtit vſque fortior conatibus.
Parere ſed quò pertinacius ſenex
Recuſat, eò ferociùs laceſſere
Subinde pergam, donec oppreſſus cadat
Datiſque ſupplex obſequatur legibus.
Sic crebro ariete pulſa tandem mœnia
Turréſque corruunt, & aßiduo impetu
Torrentis vndæ adeſa moles mergitur.
Fouet quidem Abramum Deus, atq; pluribus

Augere

Augere bonis pergit, meliora posteris
Annis daturum pollicitus, & fœdere
Hunc secum amico iunxit: at Deus sua
Si dicta mutet, ecce mox ruet miser
Abramus: illi nil fides, nec viuida
Prodesse quicquam spes poterit, ni manserit
Idem per omne tempus, & immotus velut
Rupes medio æquore quam procella verberat:
Cunctas sed explicabo fraudes ilicet,
Illius vt subacta corruat fides.
Duos habet ecce liberos, alter meis
Iam paret vltrò nutibus: vix retia
Vitabit alter tensa, quamuis optimis
Illum parentes artibus forment. Sara
Mox fracta rebus asperis dabit manus.
Imbellis iste sexus, & constans parùm.
Vernæq; vilis turba, quæ pascit pecus
Gregésque Abrami, scilicet, repellere
Meos valebit impetus, & abditas
Cauere fraudes. Quicquid accidat, statim
Saxum mouebo quodlibet tentans meis
Astutiores implicare cassibus.

Abrahamus. Angelus.

ABR. *Quum pergat vsque Cœlitum mens prouida*
Mihi fauere, seu minaces hostium
Fortis retundat impetus, seu copiam

Frugum quotannis largiatur, & pecus
Cornigerum adaugens, omnibus, quotquot soli
Glebas Cananæi vomeribus sulcant suis,
Me ditiorem reddat, & (quod cæteris
Maius bonum cunctis puto seni datum)
Hæredem Isacum sospitet, vix vix meam
Damnare possum pigritiam satis, Deo
Quòd gratias subinde cesso reddere,
Ipsíque laudes debitas persoluere.

ANG. *Abrame, Abrame, missus arce Olympica*
Adsum supremi Regis ales nuntius,
Quæ mandat, audi: protinus tardas procul
Moras repelle, & imperata fac lubens.
Assume mox tuum vnicum natum, anxio
Amore quem senex pater complecteris,
Quémque auspiciis bonis Isacum nominas,
Ad sacra montis hunc Moriæ culmina
Duces, & illic immolabis, & rogo
Cremabis ardente impositum: hæc erit Deo,
Si promtus obsequare, grata victima.

ABR. *O summe rector, imperas meum tibi*
Cremari Isacum! promptus obsequar tuis
Iußis: sed, ô, faue benignus, & meo
Rebelliones pelle cunctas pectore:
Et talibus attonitam imperiis mentem erige:
Nam mihi per ossa currit ima languidus
Tremor, labántque genua. Robur annue,

Quod

Quod nulla vincat irruens tentatio.
Fac me tuis parere iussis ocyus.
Quod, quæso, nostrum crimen inflammat, Deus,
Tuos furores? Bella quæ misero mihi
Mouere paras, tremende rerum conditor?
Quid? filium vnicum senis tremula manu
Parentis imperas iugulari, & ignibus
Funestam aduri victimam? fateor, potens
Orbis dominator, me meis pœnas graues
Culpis mereri: parce, nec suo, precor, meam
Orbare senectutem velis solatio.
Sed, quid queror? sunt recta cuncta quæ iubes,
Parere semper vera tibi debet fides.

Eliezer. Pastores. Isacus.

Colligite sarcinas, & ad præsepia
Redite, conseruósque vestros, & simul
Curate commissos fidei vestræ greges.
Vitate rixas atque fœda iurgia,
Summíque prouidam inuocate Numinis
Benignitatem, vt Abrahæ velit pecus
Augere semper, illiúsque commoda
Vbique promouere seruientibus
Vobis fideliter, velut bonos decet
Vernas, quibus herus contigit Dei timens,
Malæq; fraudis abstinens, quo mitior
Meliórq; nullus orbe cuncto cernitur.

Nec qui magis suæ satagat familiæ
Puras salutis indicare semitas,
Cultúsque Rectori placentes Cœlitum.

PAST. *Parere nos æquum est tibi: nec gratius*
Quicquam esse nobis censeas quàm commodis
Seruire cunctis Abrahæ, & domum ipsius
Gazis repletam conspicari ditibus,
Parata nobis cuncta sunt, mox ibimus.

ISA. *Quid me, precor, relinquitis? me sumite*
Vobis comitem, nostros vt aspiciam greges.

PAST. *Isaace mane, nec ædibus patris procul*
Abscede, ne tuam ferat molestiùs
Absentiam, & nobis grauiter succenseat.
Sed firmior postquam tibi ætas auxerit
Robur, licebit experiri, quot bonis
Pericla sustinenda sint pastoribus,
Dum longa per deserta laniger as oues
Ducunt, inaccessásque cautes (feruidus
Vbi stabulat leo & ferox vrsus suos
Celat catulos,) dum nocte sublustri excubant,
Arcéntque fures subdolos ouilibus.

ISA. *Quid? me putatis inscio quoquam patre*
Prodire velle? quum Deus imperet bonis
Natos parentum vbique iußis obsequi,
Patris verebor vsque iussa, nec, licet
Me mandet ille protinus mori, abnuam.

PAST. *Et te fouebunt vsque Cœlites tuis*

Si debitum honorem reddideris parentibus.

ISA. *Adibo patrem méque vobiscum vt sinat*
Migrare poscam: & dum reuertor, hîc, precor,
Me paululum expectate. Past. Nos parebimus,
Melósque dum redis Deo cantabimus.

Chorus ex Pastoribus compositus.

O, quàm beatus, qui fugiens nefas,
Et legis almæ conscius, æthere
Celso parauit perfugium sibi:
Durisque fidens temporibus Deo,
Insanientum spes hominum procul
Cæcas repellit, quæq; vagas solent
Ludicra mentes fallere somnia.

Non terret illum pauperies inops,
Nec inflat auri copia largior,
Aequam secundis rebus, & asperis
Seruare mentem nouit, & vndique
Vexationum si violentior
Procella tentat, Tartara si mouent
Infesta turbas, impauidus manet.

Illum tuetur dextera Cœlitum,
Certásque semper prouida semitas,
Monstrat minaci, nec sinit obrui
Tentationum turbine grandium:

Si fortè nutat, ſi pede lubricos
Quandoque calles ambiguo terit,
Preſſum periclis omnibus explicat.

Hæc eſſe noſter vera ſatis docet
Abramus: ex quo Patris Olympici
Fidelis illum cura tegit, licèt
Multis petatur ſæpe malis, tamen
Hæc cuncta vincit maior: atrocia
Si damna creſcunt, indomiti ſimul
Augentur illi robora pectoris.

Natale quondam deſeruit ſolum:
Feruens coegit ſollicitum fames
Ægyptiorum littora viſere.
Huic rapta coniux ad Pharij domum
Eſt ducta Regis, qui niueo Saræ
Decore captus, connubio ſibi
Hanc deſtinabat iungere protinus.

Sed mox Abramus ſupplice dextera
Poſtquam precatus ſydereum eſt patrem,
Illi remiſit Rex Pharius ſtatim
Sponſam, verendos Cœlicolæ pauens
Regis furores, finibus & ſuis
Vtrumque iuſſit cedere, nec ferox
Eſt auſus illos lædere Barbarus.

Poſtquam arua Nilo proxima, & impios

Liquêre

Liquêre campos, vſque adeò breui
Res creuit illis tempore, Numinis
Fauore ſummi, vt tot ſua cum Lotho
Jiſdem nequirent paſcere prædiis
Armenta. Pingues hinc Sodomas Lothus
Migrans ſceleſtas incoluit domos.

Tunc triſte bellum fœderibus duces
Mouere iunctis, qui Syriæ vberes
Glebas aduncis vomeribus ſecant.
Et ſubiugatis mox Sodomis Lothum
Traxere ahenis coniuge cum proba
Vinclis reuinctum turpiter, & procul
Nutus coactum barbaricos ſequi.

Sed caſum amici mox vbi flebilem
Abramus abſens audiit, ilicet
Vernas trecentos, biſque nouem ſimul
Collegit, armis muniit, & feros
Sequutus hoſtes fortiter irruit,
Et terga dantes funditus obruit,
Potens ſupremi præſidio Patris.

Dehinc dura rupit vincula, & æneas
Victis catenas, & decimis prius
Summo ſolutis Pontifici, ſua
Turbæ miſellæ reſtituit bona,
Prædáſque raptas. Sic rediit domum

Victor decorus, votáque totius
Orbis tremendo reddidit arbitro.

Quum tot niteret plena bonis domus,
Gemmis, & auro, nec pareret suo
Prolem marito iam senior Sara,
Vltrò ipsa seruam tradidit Abrahæ,
Si fortè tali coniugio placens
Nascatur hæres, cui sua linqueret
Post fata grandes diuitias pater.

Hæc Ismaelem serua tulit ferum,
Cui regna sedis post venientibus
Promisit arcis syderea potens,
Censúsque opimos, & varium decus.
Sacris sed istud mancipium ædibus
Exire iussit, legitimum vt viro
Hæredem Isacum progenuit Sara.

His tam beatis sub penetralibus
Seruire vernas nos iuuat. Hîc suæ
Benignitatis participes simul
Regis voluntas Cœlicolûm facit,
Et signa nobis dans eadem inclyti
Fauoris altas quærere opes polo,
Vitæq; mandat perpetuæ bona.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

Isacus. Abrahamus. Sara. Pastores.

O Regis admi Cœlitum benignitas
Iuuare pergit vsque! supplices simul
Manus ad astra sustuli, mox annuit
Clemens petitis plura, nostros proxima
Per rura pascentes cupiebam visere
Ducentibus vobis greges. Verùm pater
Secum, iubente sic Deo, me ducere
Parat Moriiæ ad alta montis culmina:
Méque interesse vult, sacras quum fumidis
Adolebit illic victimas altaribus,
Sic sic procul nostris remotas ædibus
Lustrabo gentes, & solum visam exterum.
O, nunc eundum est: O, meus venit parens,
Iam vult paratis omnibus viam ingredi.

ABR. *Quæcunque summus imperet rerum arbiter,*
Parere semper nos decet, nec fas Dei
Iußis reluctari pias fidelium
Mentes virorum: namque iustus optima
Rex mandat vsque subditis mortalibus.
Nec, si latent quandoque nos causæ, quibus
Mandata fulciuntur ipsius, tamen
Has curiosiùs licet requirere.

SAR. *Ne, te precor, mirere, si meum mihi*
Res angit ista pectus, atque longius
Si terret iter, quod ingredi natum iubes.
ABR. *In rebus aduersis suos Deus probat.*
SAR. *Hæc esse vera credo, sed prius velim*
Te scire tale si Deus quicquam imperet.
Hunc natum habemus vnicum, & tenellulum
Nostræ senectutis columen, in quo sita est
Beatitatis illius fiducia,
Quam rector arcis igneæ potens tuis
Promisit olim se daturum posteris.
ABR. *Non in puero talis sita est fiducia,*
Sed in Deo qui nescit vnquam fallere,
Decreta nec mutare, quæ semel suo
Verax reclusit ore. Quare filio
Timere Isaco desine: hunc tuebitur
Vbique summi Numinis certus fauor.
SAR. *Quid? hunc Deus obiici periculis iubet?*
ABR. *Tutante Deo nusquam est periculum bonis.*
SAR. *Subesse quiddam huic suspicor negotio.*
ABR. *At mens mihi nil suspicatur anxia.*
SAR. *Arcana res est ista valde quam paras.*
ABR. *Quæcunque sit tandem, illa fit Deo auspice.*
SAR. *Sed quis locus sit iste nec scis, nec viam.*
ABR. *Iter Deus monstrabit, & locum mihi.*
SAR. *Illuc tenellus ire non quibit puer.*
ABR. *Hunc ducet auctor & comes viæ Deus.*

SAR. *Sed*

SAR. *Sed plena multis ſunt periculis loca.*
ABR. *Pulchrum ſequentem iuſſa Cœlitum mori.*
SAR. *Erit ſenectus orba noſtra ſi perit.*
ABR. *Viuet beatus vſque qui moritur Deo.*
SAR. *Hîc tutiùs iuſſas cremabis victimas.*
ABR. *Verùm ſupero viſum eſt aliter Diuûm patri.*
SAR. *Hæc ergo ſi decreta ſunt Cœleſtium*
Magno parenti, & ire tecum filium
Vias per ignotas tenellulum velit,
Migrate ſecuri fauore Numinis.
Vos ritè mactatis reducat hoſtiis
Ad noſtra tecta ſoſpites ſupplex precor.
Iſace fili, paruulus iam iam tuum
Comes parentem ſequere, quò Deus volet,
Memorq; Regi funde Coelicolûm preces
Puras ſubinde, ſolus ille ſemitas
Præſtare ſecuras poteſt periculis
Procul repulſis, vt ſtatim incolumis domum
Noſtram remigres cum parente, iam vale,
Iſace, plura me loqui vetat dolor,
Et ima qui quatit metus præcordia,
Genáſque fletibus ſeniles irrigat.
ISAC. *Verenda mater, te precor, moleſtiam*
Triſtéſque curas anxiis nimiùm amoue
Pectoribus, inutiléſque ſiſte lacrymas,
Mè me reducem videbis, & ſaluum, viæ
Nos auctor huius, prouida ducet manu.

ABR. *Vos iam relictis ire mecum ouilibus*
Oportet, hásque ferre sarcinas, iter
Trium est dierum ad vsque montium iuga.
Queis me tremendus imperauit victimas
Mactare sibi totius orbis Arbiter.

PAST. *Tuum est iubere quæ voles, nostrum obsequi.*
Quocunque nos duces, sequemur ocyus.

ABR. *Eamus igitur quo Deus vocat. Tibi*
Absentibus nobis domus custodiam
Commendo, coniux, méque sospitem breui
Spera reuersurum fauente Numinis
Almi benignitate, quam toties sumus
Experti vterque, quando durioribus
Nostram probauit ante casibus fidem.

SAR. *Domi manens Superos precabor, vt tuis*
Faustum velint donare cœptis exitum,
Cunctísque seruatum periclis reddere
Cum dulci Isaco coniugem charum mihi.

Sathanas.

Sic ergo nullis artibus nec machinis
Tam pertinax istius expugnabitur
Fides senis? Nostrísne semper fortior
Conatibus resistet, abnuens dare
Victas manus? Subacta gens mortalium
Nostris vbique legibus paret, neque
Terras amicis lustrat vllas ignibus

Titan

Titan renidens, pinguibus quæ victimis,
Et thure multo non meum quærat lubens
Placare numen: iste nostra respuens
Edicta solus nostra: quæq; cuncta gens probat
Sequi recusans vnus, æthereo patri
Placere quærit, atque quidquid imperet,
Nil ambigens obtemperat: nec iudicat
Quidquam graue, licèt dura mandet sæpius.
Nam iußus ad arduum Moriiæ verticem
Montis suum mox mox Isacum ducere.
Illìcque mactatum cremare, se viæ
Commisit ecce, suámque celans coniugem
Aras tepentes filij respergere
Parat cruore, torridósque adurere
Rogis tenelli secta membra corporis:
Affectus illum patrius, qui pectori
Defixus hæret intimo, atque coniugis
Nato timentis lacrymæ haud mouent, neque
Dura mala quæ senes solent orbos sequi.
Sed quidquid accidat, meis hæc commodis
Res cedet vltrò. Namque si nihil pauens
Abramus ipse filium mactet suum,
Promissa Isaco facta quondam corruent:
Nam mortuus semen beatum gignere
Nequibit illud, regna quod vertet mea,
Mortísque ahena vincla rumpens pallidæ,
Et sæuientis Tartari tyrannidem,

Vitæ perennis aperiet bonis vias:
Quòd si veteribus reddita olim patribus
Oracla seclis impleantur posteris,
Nil gente cuncta clarius mortalium:
Nil sorte contra Dæmonum lachrymosius.
Sed si suam mutauerit sententiam,
Et ipsum amor paternus impediat suum
Iugulare monstratas ad aras filium,
Tunc obstinata subiugabitur fides.
Tunc vota supplex fundere, & puras Deo
Preces Abramus, desinet: tunc iudicis
Fauore supremi rebellis excidet.
Magnúsque deuiantium aggregabitur
Simul cateruis, corda queis paludibus
Prognatus error tartareis obnubilat:
Quas turpe quoduis præcipites agit ad scelus.
Sed hunc sequar quocunque mouerit pedes,
Vt propius exitum istius negotij
Spectare possim. Nam senex animum licet
Nunc monstret inuictum procul certamine,
Illum tamen per ima currens viscera
Terrebit horror ambiguum, quum sanguine
Spargenda filij miser parens struet
Altaria, vicinísque ligna colliget
Syluis, laceros quibus tenelli corporis
Incendat artus: paruulas quum cœperit
Vincire palmas, & miserabiles sui

Questus

Questus Isaci tristis audiet, ferum
Quum stringere mucronem volet, mirum nisi
Tot arietibus impulsa tunc ruat fides,
Cedátque tandem victa contumacia.

Abrahamus. Pastores.

Iam tertium nobis redonat Sol diem
Ter mensus arduos polorum fornices
Flammante curru, ex quo relictis ædibus
Nostris viam ingressi hanc sumus, nec vllũ adhuc
Tutante nos Deo periculum accidit,
Hic ecce mons est cuius ad fastigia
Me magnus orbis imperat Rector meo
Cum filio conscendere, atque victimas
Offerre quas monstrabit: hîc quiescite,
Est namque vobis progredi vlterius nefas.
Sed interim dum iussa vota reddimus,
Puris superum patrem precibus lacèssite
Vt esse mitis pergat, & semper fauens.
PAST. *Hoc, vt iubes, manebimus loco, neque*
Vltra pedem positos feremus limites,
Et propitium tibi esse Deum rogabimus.
Nam si tibi ex animi fluant sententia
Res, esse quid nobis poterit optatiu: ?
ABR. *Istas, Isace, sarcinas præi ferens,*
Portabo prunas, atque mucronem æneum.
In vota ne cessate, quæso, cultibus
Donec peractis ritè mox reuertimur.

Pastorum Chorus.

Quæ tantæ Abramum curæ agitant? Quis anxiam
Tantus fatigat illius mentem dolor?
Cur vultus illi tristior? Cur nunc iubet
Cœleste Numen inuocari ardentiùs?
Quid ille, quæso, nunc timet: discrimina
Quem nulla potuerunt adhuc percellere:
Qui rebus aduersis animum nil territum
Opposuit vsque fortior? Sic æquore
Moto procellis saxa repellunt concitos
Immota fluctus, atque sæuientium
Annosa quercus ridet Austrorum minas.
Quid ergo nunc illum angit? haud quisquam parat
Mouere bellum. Nam licèt terræ incolas
Inter Cananææ peregrinus fixerit
Rebus suis sedes, & auri possidens
Talenta, plurimósque ditior greges,
Illum tamen verentur omnes integrum
Vitæ, & nocere vlli cauentem sedulò,
Rex nuper illi Abimelæchus fœdere
Se iunxit vltrò, cuncta domi sunt prospera,
Habétque coniugem bonis quæ moribus
Ornata fugit rixas, suo studens viro
Placere semper, filium senilibus
Quæ peperit annis, quo nihil suauius
Sol cernit vsquam, nec senum potentius
Leuare tædia & graues vitæ moras:

Vt multa paucis contraham, beatior
Non viuit vllus orbe toto, nec suo
Fauore quem magis Superûm tegat pater.
Quæcunque nutrit gramineo sinu
Fœcunda tellus, atque tegunt poli
Flammantis axes, quàm variant vagis
Subiecta paßim casibus omnia!
Nil magnus orbis despicit Arbiter
Ab arce summa, quod maneat diu.
Sed durat idem solus, & illius
Æternitatem secula non metunt.
Non semper almum purpureis micans
Titan quadrigis irradiat diem,
Verùm recedens Oceani cauis
Se mergit vndis, mox vbi rosidus,
Et noctis atræ præuius arduo
Candere Olympo cœperit Hesperus,
Et furua clarum condere nox diem.
Quàm mutat errans Luna polo suos
Subinde vultus! Quàm varias globo
Nigrante formas induit! Aureo
Mox tota fulgens lumine cernitur:
Mox parte tantùm dimidia nitet:
Mox sola monstrat cornua: mox suos
Abscondit orbes: nusquam eadem manet,
Cursus nec vna flectere amat via.
Et clara cœlo sydera quæ micant,

Si sæuientes excitat impotens
Auster procellas, aut gelidum vuidis
Imbrem refundens nubibus ætherem
Obscurat, ignes protinus occulunt:
Et certa nautis signa frementibus
Monstrare cessant, quum ratibus mare
Tristes per vmbras ambiguis secant.
Quotquot resurgens Sol renouat dies
Cursu rotantur dissimili, pigras
Æstate ducunt frugifera moras:
Brumæ rigentis temporibus statim
Volant recisi, mox niueo nitent
Fulgore sudi, mox nigricantibus
Velantur vmbris, mox rapido impigris
Ardore messes agricolis coquunt,
Mox cuncta inerti rura premunt gelu.
Nunc terra odoro multiplices sinu
Flores refundit, quum placidus nouo
Demulcet auras vere Fauonius,
Lætisque vestit frondibus arbores.
Nunc squallet omnis, quum Boreas plaga
Frigus reducens Sarmatica ruit:
Quum sæua campos pallidulis hyems
Spargit pruinis, & niue candida.
Nec vultus idem cæruleis manet
Vbique ponti fluctibus, aut sua
Feruente quassans littora murmure

Vrbes

Vrbes propinquas territat, & satis
Minatur agris diluuiem: aut Noto
Silente, & Euris, atque Aquilonibus,
Deponit iras littoribus suis
Hærens quietus, nec vehere abnuit
Leni pauentes tergore nauitas.
Non ille prudens qui dubiis videt
Volui per orbem motibus omnia,
Et mox deorsum tendere, mox rapi
Sursum vaganti sorte, suas tamen
Rerum fugaci tradere inanium
Spes quærit vmbræ: quíque hominem asperis
Fidele fulcrum temporibus sibi
Credit futurum: sollicitis licet
Hunc vsque cernat cladibus impeti,
Nec esse quidquam quod ruat ocyùs.
Non quotquot errant montibus auiis
Feræ rapaces, nec pecudum agmina
Malis premuntur pluribus, aut magè
Incerta casus ambiguos pauent.
Quàm mentis illum ludit amabilis
Error, periclis viuere qui procul
Damnísque cunctis expetit! Hoc Deus
Coeli recusat prouidus arbiter.
Nos, donec almo munere vescimur
Telluris, altum tendere ad ætherem,
Arctóque veram quærere tramitem

Vitam, labores per varios iubet.
Sic sic Abramus spernit humum, & vagæ
Vesana plebis dogmata respuens
Fidit parenti sydereo, & malis
Maior beatas quærit opes polo,
O, pergat illi Cœlicolûm Deus
Fauere semper, rebus & arduis
Faustum benignus præbeat exitum.

ACTVS QVARTVS.

Isacus. Abrahamus.

ISAC. *QVid hoc sibi, parens verende, vult, precor:*
Hîc sunt parata ligna, culter, & focus
Aræq́;, verùm nulla nunc est victima,
Cuius cruore cæspitem imbuas sacrum,
Cuiúsque adustis carnibus places Deum.
ABR. *Quid quæris ista, Isace? Tales abiice*
Curas, & incœpti auspicem nostri Deum
Mecum sequere, ipse prouidebit, & sibi
Gratam reperiet victimam. Sed hîc mane
Paulisper, illum sollicita donec prece
Vocabo, nostras vt bonus mentes regat.
ISA. *Sed te solitò cur tristiorem conspicor*
Nunc esse? quis dolor per ima viscera

Currens

Currens laceßit anxium, & tuos, velut
Caliginosa nube vultus obtegit?
Quid? nonne læta fronte Cœlites sibi
Nos imperant cremare cæsas hostias?
ABR. *Mox cuncta disces, nate: nunc piis Deum*
Posces precibus, & dum reuertor, hæc super
Altare ligna cuncta protinus strues.
SA. *Parebo, genitor, supplicémque dexteram*
Ad astra tollens, hic priùs toto patrem
Rogabo summum pectore, vt semper tibi
Pacatus adsit, nósque ritè quæ iubet
Factis, statim reducat incolumes domum.
Tristésque nunc nostra parentem absentia
Omni leuare donet ægritudine.

SARA

Quò vita longior trepidis mortalibus
Benignitate Numinis conceditur,
Hôc esse conspicitur malis obnoxia
Maioribus. Suis tenella infantium
Torquetur ætas miseriis. Se pluribus
Feruens iuuentus implicat periculis,
Et sæpe temperare nesciens sibi
Crudas properat mortes. Virorum inæstuans
Præcordiis cupido laudis, atque opum
Væsana sollicitos fames laboribus
Addicit improbis. Senectutem obsident

Cuncta imbecillem incommoda, & finem licet
Instare cernat calamitatibus suis,
Subinde tamen se torquet ipsa, & pallidis
Pectus fatigat anxium terroribus.
Me nulla toto viuit orbe fœmina
Beatior: mihi maritus obtigit
Abramus almi quem fouet bonitas patris,
Rebúsque tutum præstat asperis: mihi
Cui ruga iam senilis arauerat genas,
Eadem sterili donauit aluo filium
Gestare Isacum: vterque sed ex quo abest domo
Quàm metuo misera, ne quod illis accidat
Lugubre damnum: tardiores nunc mihi
Currere dies videntur, & solem rotis
Nunc pigrioribus per igneas vehi
Arces Olympi. Noctis vmbra & horridæ
Me somniorum territant imagines.
Nocturna me quies nihil iuuat, neque
Diurna pensa, absente nec viro domus
Mandata cura turbidos soluunt metus.
Isace matris delitiæ & placens amor,
Cur non comes te sum sequuta: nam minor
Esset metus, qui maior absentes habet.
At, ô supernas qui colis sedes, Deus,
Et cuncta nutu temperas quæ flammeo
Fulgore cingit æther, & pingui vbere
Fœcunda tellus nutrit, ecce tertia

Illustrat

Illustrat orbem iam dies, ex quo tuis
Iußis Abramus liquit ædes obsequens,
Frustráque me luctante filium vias
Secum per ignotas tenerum duxit procul,
Paucis comitatus seruulis, nihil pauens,
Pericla ridens cuncta te duce, & bonos
Monstrante semper tramites: illos mihi
Tandem redona sospites, nimium, heu, diu
Absunt: pauida quæ mater optat annue.
Annue marita si suum sibi cupit
Reddi maritum. Sed diutius si velis
Illos morari, robur auge pectori:
Labantis animum sustine, & fac, vt datis
Subnixa promißis, tuos nutus sequar.

Abrahamus. Sathanas.

O magne Cœli Rector, ô parens bone,
O cerne, quàm nunc sæuientum turbine
Tentationum attonitus horribili opprimar!
Quibus procellis impetitus æstuem!
Accurre, fer opem mitis, & graues, precor,
Compone fluctus: námque solus asperis
Rebus mederis. Pectus inuictum tuo
Largire seruo, ne fatiscat feruidis
Tandem duellis pressus. Aurem commoda:
Concede, quæso, vt in tuum queam sinum
Mentis querelas inquietæ effundere,

Quantísque lucter cum malis, recludere.

SAT. *Mens nutat illi, cum Deo duras parat*
Mouere lites: hæret incertus, neque
Tam firma ceu nuper manet fides, vbi
Illi propius nunc congredi est opus, fugit
Horrens Isaci sanguine aras tingere.

ABR. *Num dicta mutas, quæq; sanxisti prius*
Decreta nunc refugis? an dispar tibi,
Dubiúsque mox promissa præstas, mox datam
Fallis fidem? Dedisti Isacum qui meæ
Charum senectutis foret solatium:
Nunc longiores abnuens vitæ moras,
Migrare terris ecce vix natum iubes,
Et immiserabilem trucidari fero
Mucrone patris, & ignium rogis
Crudelium tibi cremari victimam.
Sed quò, precor, me mentis impetus rapit?
O parce, Rector alme Cœlitum, miser
Mortalis incolens luteas domos, tui
Omitto vestigare consilij abditos
Sensus, nec vltra limites fixos ruens,
Parebo semper quidquid imperaueris.

SAT. *Quid? Ergo primæ vicit ille fortior*
Tentationis impetus sæuos, licet
Vix inueniri poßit vlla durior?
Nam, quæso, secum si Deus pugnantia
Edicat, aut sententias mutet suas,

Quis

Quis crediderit Deum esse? Quis tali Deo
Fidat. Sed altera nunc aggrediar illum via.

ABR. *O! vana me fortasse ludunt somnia,*
Fictásque Dæmon obiiciens imagines,
Et monstra menti horrenda me vult impium
Contaminare cæde nati dexteram.
Nonne Deus offerri vetat sibi hostias
Tales, & humano cruore altaria
Fœdare, contentus iugulatis bestiis:
Quid! nonne deuouit Cainum atrocibus
Diris, & esse iußit omnibus vagum,
Trepidúmque terris, quòd suum peremerat
Fratrem? Ipse verò si meum crudelior
Occido natum, nónne crimen turpius
Meum sequetur vsque pœna tristior?
Quò me trepidum procella rursus abripis
An quæ Superi mandant, vocare somnia
Quis audet, atque ludicras imagines?
Quid non homo inuenit, suas coram Deo
Dum quærit excusare frustra callidus
Rebelliones! Da veniam parens bone.
Meum necari filium imperas! tibi
Parebitur iamiam: patris cæsus manu
Te sic volente Isacus immolabitur.

SAT. *Adhuc supersunt machinæ quibus illius*
Tentabo pectus obstinatum impellere,
Mirum nisi tandem fatiscens corruat.

ABR. *At, ô, meum si macto filium, effluent*
Promissa in auras facta quondam: nec tuis
Posthac habebitur fides sermonibus,
Benigne Coelitum parens. Venientibus
Seclis Isacum pluribus prædixeras
Patrem futurum gentibus, quæ totius
Per orbis incolæ plagas vellent tuis
Se subdere vltro regibus. Sed si datur
Iam letho Isacus ista vanescent statim,
Sacræque nostri sanctiones fœderis.
An fluxa possunt esse quæ verax tuo
Deus reclusisti ore, quæque es sæpius
Testatus euentura, monstrans syderum
Innumera per cælos micantium agmina,
Et portuosis littoribus curui maris
Stratas arenas? Heu mihi tantæ priùs
Spes facta prolis occidet? Heu precibus meis
Concessus hæres filius, vigili suæ
Cura genitricis educatus sedulò,
Cogetur hinc migrare, nondum lacteos
Egressus annos pueritiæ impubis? neque
Licebit illi tardioris carpere
Vitæ moras. Heu, Heu! senectus hæc mea
Languebit orba liberis? Tibi obsequens
Paruum Ismaelem nuper expuli ædibus
Cum matre Agare, nunc meum imperas tibi
Offerri Isacum, méque propria manu

Crudeliorem

Crudeliorem vis quibuslibet feris
Nati cruorem fundere, & tremulos focis
Artus cremare corporis tenelluli.
Verùm hæc tuæ si fixa stet sententia
Menti, iubésque illum mori, nec me modò
Audire vis precantem, vt olim, concitus
Ira seueriore quando cœlitus
Misso parabas sulphure ilicet vrbium
Infamium succendere impuras domos,
Et omne vicinum solum, misero, precor,
Concede patri ne sit ipse carnifex,
Hunc cædat alter quem voles, lubens feram.

SAT. *Non dicta mutabunt Superi, tua cadet*
Isacus ecce dextera, vel impiè
Rebellis illorum excides fauoribus.

ABR. *O, quum reuerti me mea solum viderit,*
Quid dicet vxor? quum perisse filium
Sciet genitoris interemptum dextera?
Quum luctuosas horridis vlulatibus
Replebit ædes mater, atque sæpius
Suas Isacum delitias frustra vocans
Fletus acerbos fundet? O, tantos quibus
Verbis dolores leniam? Si te, Deus,
Hanc imperasse dixerim cædem, meis
Habere quis volet fidem sermonibus?
Si nemo tuis factam auspiciis illam putet,
Mox mox per vrbes cursibus volans citis

Me parricidam fama dicet impium,
Diras & omnis imprecata gens truces
Manus, nefásque patris execrabitur.
Quis pollicenti tibi bona plura credere,
Quis nomen inuocare pòst tuum volet,
Promissa si præstare temnis? & suos
Cruore natorum imperas cultros patrem
Foedare: si iura gentium præcordiis
Insculpta conuellens hominem sæuißimis
Nunc esse facis ferociorem beluis?
Quæ fera laniat suos cruentis vnguibus
Catulos? Leonis iste mos, nec tigribus,
Nec est lupis rapacibus: non sæuiunt
Vsquam, nisi in dispar genus. Rector potens
Coeli miserescere: non senilis hanc potest
Patrare cædem dextra. Nutibus tuis
Sum semper obsequutus: asperam sitim
Famémque constanter tuli: pericula
Me terruerunt nulla Barbaræ solum
Gentis peragrantem, hostium nec impetus.
Nunc totus horresco: nunc tremunt manus:
Nunc genua labant: nunc illa mentis robora
Quondam nihil pauentis ecce corruunt.
Et me tuos ductus volentem, ceu priùs
Sequi dolor, qui tantus imis insitus
Pectoribus hæret, haud sinit. O citis veni
Mors vecta bigis! quid miserum tardas senem

Tot

Tot ſoluere curis? quò ruis velociùs,
Hôc eſſe ſoles mortalibus minùs grauis.

SAT. *Proſtratus ecce nunc iacet, niſi nouam*
Inſpiret illi vim Deus: mox, mox fides,
Et tanta cordis obſtinatio excidet.

ABR. *O parce, Deus, nec imputa quas impotens*
Effundit ore non probas voces dolor.
Compeſce tandem fluctuantis turbidas
Mentis procellas, atque murmur impium.
Pudet tuis me auſum eſſe dictis obloqui.
Pudet tuæ oblitum eſſe dextræ, quæ potens
Me texit vſque cuncta per diſcrimina,
Ex quo tibi parens reliqui patrios
Fines, adunco quæq́; rura vomere
Chaldæus arat, non me benignitas tua
Fefellit vſquam: pollicitus natum ſeni
Tandem dediſti, præſtiturus omnia
Tempore ſuo, quæcunque ſummus arbiter,
Veráxque ſanxiſti. Suos varient poli
Curſus & aſtra: ſæpius ſuos Noto
Fremente fluctus mutet æquor, & grauis
Tellus colores, ſemper idem tu manes
Deus. Quid ergo filium moror tibi
Mactare, timens ne, ſi datur letho, ilicet
Promiſſa vaneſcant tua? nonne luridis
Vales ſepulchris excitare mortuos,
Vitámque corporibus ademptam reddere?

Hæc esse vera credo, cærulei ætheris
Tremende Rector, imbecilla mens licèt
Quandoque nutet. Iam procul facessite
Metus pauentes, & dolor: facessite
Tristes querelæ T úque Numinis sequi
Ductus recusans optimos mortalium,
Insana Ratio, cede: me cælestibus
Patris superi parere legibus iuuat.

SAT. *Suum ergo filium iugulare vult senex,*
Nec tanta sæui terret ipsum atrocitas
Facinoris, esto. Post videbimus statim
Quid cæso Isaco facere Cœlites volent.

Abrahamus. Isaac. Sathanas. Angelus.

ABR. *Securus ecce Isacus ambulat meus,*
Suis nec imminere videt ceruicibus
Crudele fatum. Quanta, quæso, cæcitas
Humana velat corda. Námque dum valent,
Dum floret ætas, atque cuncta suppetunt,
Quibus volucres posse mortis se putant
Tardare cursus, singulis sibi haud vident
Horis minari cuncta mortes pallidas,
Nec quidquã homini tutum esse. Sed rite vltimã
Qui semper aduenisse cogitat diem,
Viuit Deo beatus, haud timens mori.
Heu, heu! tremor quid ima rursus viscera
Pulsas recurrens? quid fremunt præcordia,

Hæréta

Hærétque lingua faucibus, meum alloqui
Quum conor Isacum? Abrame, Abrame, enitere,
Istámque nunc mollitiem animo procul excute.
Isace, súntne structa ligna vt iusseram.
SA. *Vides pater verende.* ABR. *Qualis, heu! pater.*
Quàm nunc meum vox ista pectus sauciat!
Non vulnerare sæuius potest ferox
Impactus ensis corpori. IS. *Quid, ô pater,*
Tecum loqueris? quid te timentem conspicor?
Quid vult sibi vultus tristior? Tuus, precor,
Effare num queat obsequendo filius
Lenire commoti dolorem pectoris.
ABR. *Hunc cernis ignem, ligna, cultrum, vincula?*
Isace, Isace, me Deus, Deus, iubet
Iamiam teneras vincire palmulas tibi:
Te iam parentis dextera cæsum tui
Istis adoleri victimam ignibus iubet.
ISA. *Tam dira quis credat iubere Coelites?*
Tuam cruore filij caue, pater,
Maculare dexteram, hostiis haud talibus
Placatur almum Numen. ABR. *O, vox cognita*
Superûm meas percußit aures, & tuo
Has imbuere aras imperauit sanguine.
O, vtinam aliter visum esset illis, centies
Intrare malim luridam Inferi domum,
Et cæca Tartari antra, quàm te perdere
Solum senectutis meæ solatium.

Heu parce, parce filio, teneræ pater
Misertus ætatis, nec in tua viscera
Sæui, precor supplex. Resistere haud decet
Natos suis parentibus, nec viribus,
Verbísque contumacibus contendere:
Est obsequendum dura quamuis imperent.
Opponere miseras tamen licet preces,
Iunctásque feruidis querelas lacrymis.
Hæc arma sunt imbellia te quibus peto:
Fletus Isaci supplicantis aspice.
Isacus te suum rogat patrem
Ne se trucides, ne velis matrem suo
Priuare nato: ne tuo vitam eripe
Mucrone Isaco, quam dedisti: ne tuam
Genitor senectam delitiis orbes suis.
Non has tamen recuso terras linquere,
Si me velit mori potens Olympicæ
Moderator arcis. Nam breuioris semitas
Secans paratas gentibus sedes piis
Mox tangam, & igneos polorum fornices
Curis solutus, atque putidis minus
Culpis maculatus, vita quò fluet mihi
Transuecta quadrigis citatioribus.
Verùm hoc, pater, mihi indices priùs velim,
Quod expiandum morte tam fera scelus,
Fœdúmue nefas patrauit impubes puer?
ABR. *Non plectere orbis arbiter Deus tuas*

Vult,

Vult, nate, culpas: vult ſibi te victimam
Parentis offerri manu, tibi parans
Cœlo quietem, lugubres queſtus mihi.

ISA. *O chara genitrix, ſollicita noſtrum domi*
Quæ nunc reditum manes, quibus eiulatibus
Funeſta tundes tecta, quum plorans pater
Periiſſe Iſacum nuntiabit, haud febri
Correptum acuta, nec cruentis dentibus
Feræ voratum, nec latronis cuſpide
Tranſuerberatum, ſed tuis cultris, pater.

ABR. *Iſace fili quidquid accidat, Deo*
Parere nos oportet: ecce vulnera
Sanabit ipſe quæ facit: ſolabitur
Tandem tuorum, crede, lacrymabiles
Queſtus parentum. Te para, ſupplex Deum
Precare, mentis ille robur annuet,
Ne te propinquæ mortis horror terreat.

ISA. *Vis ergo me Rex Coelitum iam iam mori*
Adeſto præſens, ô precor: vires dato,
Tuis vt æqua mente iuſſis obſequar.
Me me paratum cerne, quum voles, pater,
Palmas liga, enſem ſtringe, cæde, torridis
Adure flammis corpus, hæc patiar lubens.

ABR. *Æterne mundi conditor, tam triſtibus*
Mihi querelis pectus attonitum erige.

ISA. *At te, priuſquam Coelicolûm pater optime,*
Pallentis Inferi nigros intrem ſpecus,

Supplex rogabo, vt exeuntem corpore
Meum benigna ſpiritum regas manu.
Et noſtra fac poſt fata tecum nectaris
Succos perennes hauriam. Tuus fauor
Me fouit aluo matris egreſſum meæ,
Semper miniſtrans cuncta, quæ neceſsitas
Præſentis æui poſtulat: quódque omnium
Rerum fugacibus eſſe maius arbitror
Vmbris, tenellulum imbuiſti mox tui
Vero timore Numinis, perge, ô Deus,
Fauere ſemper mitis, atque cunctas elue
Culpas, quibus ſe vita noſtra polluit:
Suos licet breuiore iam iam tramite
Curſus peregerit. Tibi verum, pater
Abrame, non ſum ſemper obſequutus, vt bonos
Vbique liberos decet, parce, ô precor,
O parce nato. Tu genitrix abes, tuo
Inſtare Iſaco neſciens crudas neces.
Hæc qui ſupremus iuſsit arbiter Deus
Sanabit ægri pectoris fletus feros.

Hic velantur oculi Iſaco.

Iam vos nitentis clara Cœli lumina
Valete, veſtra luce non poſthac fruar,
Iam noctis vmbra me premit, iam ſquallidi
Caliginoſas Tartari ſedes peto.
Nil ambigens quin corpus, vltima quum dies
Illuxerit orbi tunc reſurgat mortuum,

Fiátque

Fiátque ſimul beatitatis particeps.

SAT. *Quidquid per omnes accidit terræ plagas*
Immane, triſte, turpe, deteſtabile,
Cædes cruentæ, bella, parricidia,
Maleſuada fames, peſtis furens, incendia,
Venena poclis mixta, fraudes impiæ,
Direptiones vrbium, libidines
Regum ſuperbæ, plebium æſtus feruidi.
Truces inimicitiæ, irreconciliabilis
Fratrum ſimultas, ſtupra, perfidiæ, inſolens
Inceſtus, atque rupta vincla fœderum,
Hæc cuncta me me recreant ſpectacula:
Meam ſed iſtius miſerandæ lacrymæ
Queſtúſque lamentabiles mentem mouent.

ABR. *Hæc ſumma nunc tandem tibi, nate, oſcula*
Libabo, téque cinget vltimis ferox
Hæc noſtra dextra amplexibus, priùs tuo
Quàm cæſus hanc aram cruore ſparſeris.
Vos teſtor ignes nocte tota lucidi,
Turmæq; ſyderum innumerabiles, mihi
Quas ſæpe monſtrauit Dominator ætheris,
Quum ſeculis promitteret ſurgentibus
Hunc hunc Iſacum plurimarum gentium
Fore progenitorem: téque iam iam quinquies
Promiſſa teſtor terra poſteris meis,
Me iuſſa patris almi ſequentem, fundere
Innoxium nati cruorem: illi fidem
Sic ſic probare pectoris mei placet.

Num freta dictis ipsius veracibus
Humana spernat sensa, quæq; mentibus
Insana ratio dictitat mortalium.
Nunc nostra dextra fortis aude victimam
Hanc immolare, námque sic visum est Deo.
Heu, heu trepidas? & sæuienti extinguere
Horrescis ense filium? IS. Tuum, pater,
Ferire formidas Isacum, legibus
Pare supremis, redde quod debes Deo,
Feri, feri nihil pauens, ne, si manu
Me vulneraris imbecilli, langueam.

ABR. Immitis aude dextra, quid moras trahis?

ANG. Abrame, Abrame. ABR. Cur paratum me tuis
Obtemperare nutibus impedis Deus?

ANG. Strictum reconde cuspidem, tuo bonus
Te Cœlitum rector nocere filio,
Taléſque adolere victimas sibi vetat.
Illi satis est, quod viderit nihil tibi
Optatiùs esse, quàm statim quod imperat
Præstare prompta mente: nam tuum illico
Voluisti Isacum offerre iussus hostiam.

ABR. O sancte parens, quid audio? quibus, precor,
Tuum perenne laudibus veham decus.
Istis solutus ergo vinculis, Patri,
Mecum supremo, nate, disces fidere.

IS. Te laudo, cuncta qui Deus potens regis:
Qui me petentem mortis inferas domos
Vitæ redonas, fac tuos lubens sequar
Vbique ductus, téque fac solum inuocem.

ABR. *At vnde nobis iste aries quem cornibus*
Hîc propè reuinctum cerno, bone mittis Deus,
Humana non vis immolari viscera:
Hic tinget istas sanguine aras iam suo,
Hic cæsus accensis adolebitur rogis.

ANG. *Qui magnus arces æthereas iudex colit,*
Subiecta cuius terra paret legibus,
Cui sæuientes excitant per æquora
Venti procellas, quæ tibi me iusserit,
Abrame, nuntiare, promptis auribus,
Et mente conde. Iam satis, dicit, tua est
Spectata fides, & imperatis obsequi
Nostris paratum pectus. Ecce quæ tibi
Promissa iurans firmo, testibus poli
Flammantis astris, atque cunctis quæ manus
Hæc nostra sola condidit, fore vt tua
Totum per orbem crescat auspiciis meis,
Soboles numero carens. Olympo non nitent
Candente plura sydera, nec feruens suis
Plures arenas fluctibus vomit mare.
Non dicta, quidquid impietas satagat furens,
Aut inquieta Dæmonum cohors fremat,
Mutare nostra quibit: ecce posteris
Venturus est seclis Isaci sanguine
Rex cretus olim qui suos potentior
Hostes triumphans Gentibus leges dabit,
Et vera cunctis iura, quæque Olympicos
Ducant ad axes, explicabit orbitas.

FINIS.

APPENDIX
AD POEMATA.

ILLVSTRISSIMI ET POTENtissimi Principis, FRIDERICI III. Comitis Palatini ad Rhenum, Sacri Rom. Imperij Archidapiferi, & Electoris, Ducis Bauariæ, &c. MEMORIÆ.

Quicum prisca fides, pietásque antiqua renascens
Surgebat, tumulo nunc, FRIDERICE, *iaces.*
Fallor ego, an potius pietásque fidésque cadentem
Æthereas sursum traxit ad vsque domos.
Viue igitur felix, cœli nouus incola Princeps,
Quo non digna satis Principe terra fuit.

NOBILISSIMO ET FORTISSIMO VIRO, D. FRANCISCO LANOO, Carmen Epicedium.

LAnoum heroem digno exornare sepulcro
Tu quicunque voles, paucis hæc, si libet, audi.
Fac tibi cumprimis niueo de marmore tota
Francia Santonico sculpatur littore longo,
Armoricos vsque in populos atque inde reflectens
Quâ sese Eoas diffundens æquor in auras,
A Francis Anglos mediis disterminat vndis.
Hinc quoque præcipitis iungatur ad ostia Rheni

Belgica diues opum, medióque natantia Ponto
Oppida, quàm longo tractu se porrigit illa,
Nunc Rheno aduerso pergens, nunc celsa Vogesi
Culmina transcendens, Arari dum vecta secundo,
Burgundis tandem extremam se montibus infert.
Quatuor hoc verò adstantes hinc inde sorores
Sustentent marmor: quorum isthæc nomina sunto:
Certa fides, Pietas ardens, Mauortia Virtus,
Et quæ hunc deseruit sincera Modestia nunquam.
Quod deinceps marmor (quando sic Fata tulerunt)
Exuuias, Lanoe, tuas, tua contegat ossa:
Funesti ad tumuli sed enim caput ipsa superstans,
Imbre oculos, lacrymísque genas oppleta madentes,
Francia, singultus istos effundat in auras.
Ah iste est campus, quàm per se laxus & ingens,
Virtuti, Lanoe, tuæ tam paruus & impar:
Quem memini, & semper gratam meminisse iuuabit,
Inciperet notha quum soboles in viscera matris
Stringere, quos nec dum gladios furiosa recondit,
Afflictæ memorem patriæ Regúmque meorum
Sanguinis, intrepido pergentem pectore contra,
Et generosam animam mille obiectare periclis:
Vidi vbi te belli iungentem viribus artes,
Seu vallum circumiiceres: seu castra locares:
Seu pugnaturas ageres in prælia turmas:
Seu foret oppositis arcendus mœnibus hostis:
Siue opus euersis, vbi plurima mortis imago,

Aggeribus, fortem depellere mœnibus hostem.
Quum, strage in media, fundendo in sanguine parcus,
Deuictis Franci, clamares, parcite Francis:
Tempus erit tandem, posita quum Numinis irâ,
Francia communem concors se vertet in hostem.
Horum inter reliquas, tam duro tempore, saluas
Consiliis, Lanoe, tuis, & viribus vrbes,
Æternum tibi testis erit Rupella laborum,
Rupella ô Francis missum solamen ab alto,
Rupella, ô sese cui saluam Francia debet,
Lanoo primâ properante ad prælia luce,
Lanoo insomnes solito traducere noctes,
Testis & amissus, nimis eheu vulnere sæuo,
Quem pro me armaras, heros Lanoe, lacertus.
Istum namque tibi, tua ne gens tota periret,
Delusa heu nimium falsæ sub imagine pacis,
Henrico seruare tuo, Deus Optime, visum.
Henricum sed enim, post tot discrimina rerum,
Iura dare ex solio quando cernemus auito?
Impiger interea, dum quantulacunque quietis
Spes miseræ affulget patriæ, fortissimus heros,
Belgarum populis, eadem quos bella fatigant,
Allaturus opem properat: nihil ipse moratus
Parmensem Enceladum, coniuratósque gigantas.
Nec mora, nunc illuc, nunc istuc, fulminis instar,
Fertur in arma furens, cui ferrea tractat habenas
Læua manus, stricto soror altera fulgurat ense.

Fit, quacunque ruit, totis pauor, & fuga campis:
Læta latus contrà illius victoria cingit.
Hinc modò vi captæ, modò belli fraudibus vrbes.
Lanoo auspiciis Magni pugnante secundis
Auriaci indignâ quem proditione peremptum,
Perfide, non vnquam tuleris impune, Tyranne.
Verùm deerat adhuc plenæ res vnica laudi:
Multorum vt victor sese quoque vinceret idem.
Lanous capitur, sociis non iussa sequutis,
Captiuum virtus ipsi admirabilis hosti
Seruauit, seruare suos vt Numinis æqui
Dextra solet: verum quid non in carcere passum?
Ingerit iste minax Hispani Principis iras,
Seruanda ille ferox Romani Præsulis hosti
Belli iura negans, flammásque, crucésque minatur.
Pollicitis alius perduci ad turpia captum
Posse putat. Frustrà. Nam ceu Marpesia cautes,
Immotus vultu, corde imperterritus heros,
Cælesti totus pendens à Numine, perstat.
Est qui perpetuo retinendum carcere clamet:
Nec fuit hic rumor vanus. Nam carcere tetro
Occlusum tenuêre, inter ceu clathra leonem:
Donec qui Regum, quantumuis dura, Potentum
Corda regit, Regis mentem emolliret Iberi,
Huic libertatem multo qui venderet auro.
Ergo liber abit, saluâ vitáque, fidéque:
Quem prima excepit charâ cum vxore Geneua,

Et

Et fouit, belli iam tum haud ignara futuri:
Sed tuus iste tibi natus, seruatus & idem,
Rex Henrice, tibi sese deuouerat vni.
Quæ nunc vota vides ipsâ tibi morte soluta.
Hactenus illa. Tibi sint autem cætera curæ,
Lanoum quicunque paras ornare sepulcro.

FRANCISCO LANOO, EQVITI FORTISSIMO, ET REGIO Consiliario

EPICEDIVM.

NEmpe cani virtus pietásque Æneia versu
Meruit Maronis vnico:
Euge, aliquem, veri afflatum sed numinis aurâ,
Reddat Maronem Mantua:
Quem laudes, Lanôe, tuas, tua dicere facta
Fas gloriæ sinat tuæ.
Quid tamen insano iuuat indulgêre labori,
Inanibúsque iurgiis?
Quid laudes, Lanôe, tuas, tua dicere facta
Certamus, ô, Vatum chori?
Carmina quid faciant? promittunt carmina famam,
Æternitatem carmina:
Ipsa canit populos Lanôum FAMA *per omnes,*
Parentat ipsa ÆTERNITAS.

IACOBVS LECTIVS.

IN OBITVM NOBILISSIMI Herois Francisci Nouæi.

Ioan. Iacomoti Carmen.

SI, Musa, longos Treicio licet
Sonare planctus pectine, si lyrâ
Mœrente concedis decoras
Nobilium lachrymare mortes:
Nunc linque Pindi culmina: nunc leues
Omitte risus, & Charitum iocos.
Lugubre carmen, næniásque
Funereas, memorésque tristis
Effunde fletus. Occidit, occidit,
Heu! gentis ingens Francigenæ decus
Nouus Heros. Hunc cruenti
Vis rapuit truculenta Martis.
Hunc luctuoso perdidit impotens
Bellôna tandem funere pàtriam
Seruare dum tendit ruentem:
Dum validis metuendus hostes
Propulsat armis: & Lotharingicos
Fastus retundit fortis, & impias
Rebelliones, & scelestis
Fœderibus sociata tela:
Aut semimauræ signa Tyrannidis
Infesta frangens, non sinit impiger

Ignota crudeles Iberos
Indomitis dare iura Gallis:
Nec ſceptra Francis Principibus rapi,
Vt turpe regis Barbarici iugum,
Duráſ-ve formident ſecures,
Et rabidas violata leges.
O tanta longis funera fletibus
Rigaret omnis Francia mœſtior,
Tantóſque lugêret reponens
Marmoreis cineres ſepulchris.
Fatalis atque, heu! perfidiam domus,
Auróque bellum concitum Americo
Vitaret, execrata ciues
Fœdifragos, rigidúmque plebis
Stultæ furorem, ritéque Principes
Datos benigno munere Cœlitum
Timeret, optandas duellis
Anteferens bene cauta paces.
Sed faſcinata mente ſuas ferox
Ridet ruinas: atque oculis ſuum
Siccis cruorem per relictos
Læta videt fluitare campos,
Ruptas & vrbes. Sic Telamonius
Furebat Aiax, quum proprios greges
Mactauit inſanus, ſuóque
Se miſerum iugulauit enſe.
Talis reuerſum Tartareo ſpecu.

Monstrísque cæsis pluribus Herculem
Vexabat error sæuientem,
Quum scelerum domitrice clauâ
Natos placentes, & sociam tori
Gauderet olim perdere, se ratus
Ferocis inuisam Tyranni
Marte domum violare iusto.
At quum sepulcri Gallia nunc bonis
Dignos honores ciuibus abnuat,
Clarúmque virtutis nitorem
Dente premat furibunda nigro:
Musæ Nouum carminis alite
Vectum canoro pòst venientibus
Monstrate seclis: nec sileri
Ferte virum, memoranda belli
Quem facta clarant, Regibus & fides
Seruata Francis, candor & integræ
Mentis modestus, quæque dulci
Pro patria, & pietate vera
Inuictus acri pectore pertulit:
Quum miles illum carcere Bæticus
Arcti fatigauit retentum
Compedibus, validísque vinclis.
Illi superbum ponite cæspitem.
Bustúmque picto marmore clarius:
Feracis Ægypti quod alta
Pyramidum monumenta vincat.

Quod

Quod nullus imber, non Aquilo impotens,
Celsóque missum fulmen ab æthere:
Aut flamma disperdat vel hòstes
Sanguinei rapidúm-ve tempus.
Virtus suauis murmure Barbiti
Laudata viuit, factáque posteri
Liuore mirantur perempto
Pieriis celebrata chordis.

FRANCISCO LANOEO HEROI.

LANOEVM *quisquis conclamas morte iacentem,*
Falleris: Heroum stat sine fine decus.
Viuus enim qui sex viguítque stetítque columnis,
Mortuus hic nulla morte iacere potest.
Hinc pietas, doctrina, fides, prudentia robur
Mentis, & in patriam non simulatus amor
LANOEVM *cœli stellis ardentibus aptant,*
Et stantem nulla parte iacere sinunt.

ANTONIVS FAYVS.

IOACHIMI CAMERARII GERmani, Pabembergensis, Græcæ Linguæ & Philosophiæ professoris Lipsiæ. MEMORIÆ.

Extinctis olim, Musæ, fleuistis alumnis,
Et vitam vestra restituistis ope.
Nos contrà vobis, Ioachimi in funere, Musæ,
Has miseri extinctis soluimus exequias.
Namque omnes tecum, tecum, Ioachime, Camœnæ
Vt vixere simul, sic periêre simul,

HENRICI MOLLERI THEOLOgiæ quondam in Academia VVitebergensi Professoris, MEMORIÆ.

ORnabas patriam nuper, Mollere, superstes,
Exulis ingratam quam probat interitus.
Nam quo delirans pepulit te patria, tecum
Hoc ipso Pietas pulsa furore fuit.
Terrena è patria cuius miserata fugatam
Mox animam veræ restituit patriæ.
Exuuias verò, turba assectante piorum,
Hoc manibus tumulo condidit ipsa suis.
Parce tuis, Mollere, nocens te patria iuuit,
Téque solo pellens, addidit ecce polo.

THEODORVS BEZA
In Centum Diſticha Heroica à Generoſo Iuuene D.Venceſlao M. à Zaſtriſell Morauo, conſcripta.

QVem Muſæ iuuenē tanto amplectuntur amore
Quantus erit par ingenio quum aduenerit ætas,
Nempe admiretur merito Germania quantum,
Venceſlae tuus quod BEZA *& ſperat & optat.*

THEOD. BEZÆ IN LAMENTAtiones Ieremiæ Verſibus Lyricis à IOANNE IACOMOTO Barrenſi expreſſas.

QVas ſtratæ lacrymas diuino carmine fudit
Vates Hebræus patriæ,
Cur, age, ſic renouans nobis, Iacomote, ſonoræ
Tuæ maritas barbito?
Nempe iſti ſimiles quòd pœnas crimina nobis
Eadem minari proſpicis.
Et quem non cura iſta coquit, niſi qualis in orbe
Non vnus eſt Mezentius?
Aſt vtinam ſancti clamore excita Prophetæ,
Tuiſque plectris obſequens,
Illa Sion noſtro, quam condere tempore cœpit
Dei illa præpotens manus,

Tam promptè lacrymis pauefacto ex pectore fusis
Restinguat iram numinis,
Quam siccos retinens oculos vetus illa rebellis
Sese Sion pessum dedit.

DE PLATONE, IOHANNIS SERRANI opera & industria illustrato.

DIuinum si quid mortalibus illa reliquit
Humani labes generis, caligine cæca
Quæ mentis lucem inuoluit, fecitque voluntas
In vitium miserè preces vt tota feratur,
Tunc quoque quum recta ferri ratione videtur:
Id tibi, magne Plato, veluti diuinitus omne
Collatum quondam si quis fortasse negarit,
Quid non ille idem perfricta frontè negarit?
Et tamen hæc quidnam lux est, nisi qualis opacam
Illustrat noctem Lunæ sublustris imago?
Nos igitur seruata tibi hæc cœlestia dona
Miremur, liceátque etiam spectare, diúque,
Versare, ac nostris aptare quoque vsibus illa:
Dummodo quæ nobis lux cœlo affulsit ab alto,
Lux exprompta sinu veri quæ numinis vna,
Errantes mundi in pelago nos vna gubernet.
Ast ego quàm vellem, decus immortale Sophorum,
Istius pariter lucis te dona tulisse,
Verè vt diuini ferres cognomina vatis!

Irrita

Irrita ſed quando ſunt noſtra hæc vota, quod vnum
Iam ſupereſt, iſtud munus tibi gratulor ingens,
Illa quòd tandem deterſa ærugine, quantam
Heu nimium multi intulerant, æuíque vetuſtas,
Serrani ingenio niteas magnóque labore.
Nos igitur tibi multa, Plato, debemus: at ipſum
Debemus, fateor, tibi nos, Serrane, Platonem.

In DIOSCORIDEN Anazarbarum, à CL. V. & Medicinæ, Doctore præſtantiſſimo IOHANNE ANTONIO SARACENO, poſt aliorum doctiſſimorum virorum emendationes diligentiſſimè, & feliciſſimè reſtitutum.

NVminis imperio Verbum genitale locuti,
Plantarum quæ prima tulit miracula Tellus,
Quàm placitura oculis, tam miris vſibus apta,
Eſt mirata ſimul, ſimul eſt ſcrutata vetuſtas.
Hoc raptus ſtudio ſapientum maximus ille
Ießiades Solomon, à ſummis orſus, ad imas,
Plantarum hiſtoriam chartis mandarat Hebræis,
Quæ nobis ſi ſalua foret, ſatis eſſet abundè,
Quantumuis auidas quòd paſceret vndique mentes.
Illa licet verò periit, res tanta iacere
Attamen haudquâquam potuit, neque vana videri,
Immò perſonuit non ſolis nota Sophorum

Porticibus, verùm populis immanibus ipsis,
Illorúmque ipsis populorum regibus olim,
Hoc siue vtilitas suasit, siue ipsa venustas,
Siue adeò grati florum placuistis odores.
Hinc tot non vna ex lingua, nec gente subinde
Commoda felices hominum in communia nati,
Hæc qui tractarent rerum miracula mystæ:
Quos inter, nulli doctrina aut arte secundus,
Immò pro cunctis meritus vel solus haberi,
Ille DIOSCORIDES *tandem nos ecce reuisit:*
Non tot vulneribus fœdatus turpiter ille,
Qualem barbaries indocta legebat auorum,
Immo nec qualem, magna cum laude, politum,
Ætas produxit melior quæ deindè secuta:
Sed qualem SARACENA *manus longo vsa labore,*
Iudicióque pari, nunc toto corpore sanum,
Restituit, propriæ sic nomen laudis adepta.
Nam reliquis nomen medicis medicina ministrat,
Artis at illa suæ nunc clara in luce Magistrum
Quum, SARACENE, *tuo nunc demũ munere cernat,*
Sese ipsam debere tibi medicina fatetur.
Viue igitur, SARACENE, *diu, longumq́ superstes,*
Exurgat donec soboles te digna parente,
Qua tu egeas nunquam, sis cunctis vtilis arte.

IN CLEMENTEM PVTEANVM secťæ à PſeudoIeſu cognominatæ patrem, in Dolenſi gurguſtio.

PVtere tibi qui, Puteane, dicitur
Beza abnegata veritate perfidus,
Velut tumulo iam ſuo putris iacens,
Et viuit, & valet, vltimum iam ſeptimæ
Iſtius æui decadis annum metiens,
Idémque ſemper olim qui fuit manens.
At putido tu fœtidus mendacio,
Et factus ex Clemente Dementiſſimus,
Putes vel ipſis iam tuis ſodalibus,
Vel putet iſtis iam nihil, quos nil pudet.
Hinc ipſe verò Beza vt euolauerit,
Mille vnius mox prodeuntibus loco,
Quàm veſtra vana fuerit expectatio,
Exoſa vobis vos docebit veritas.

Illuſtri & Generoſiſſimo Domino, Domino IOANNI RVTHVENO, Comiti Gaureæ, Domino Ruthueniæ &c.

QVòd Bezæ adfingis minimè quæ Beza meretur,
Quilibet hoc faciat pictor, faciátque poeta,
At quod tam dextrè, tam cultè talia fingis,

Præstiterit rarus pictor, rarúsque poëta.

Scin' verò exoptet quanam tibi Beza vicißim?

Vt quàm adscripta sibi sunt istæc pleraque fictè,

Tam cuncti hæc in te miremur vt omnia verè.

PAVLO MELISSO, VIRO CL.

ECce Venusini quod carminis alite carmen
Ipse suo Phoebus fuderat ore tibi,
Et quod melle mihi donasti dulcius omni,
Et præ quo sapiat iam rosa nulla mihi,
Paucis ipse rosis, & parco melle rependo,
Heu, quam disparibus munera muneribus!
Ah, minimè quales Ver flores fundit odoros,
Qualia nec verno tempore mella fluunt,
Sed quales marcent hyberno tempore flores,
Qualia per medias mella reposta niues.
Viuite felices queis nunquam Musa senescit,
Mî satis est modicè si mihi vernet hyems.

Genethliacon carmen ROSINÆ MELISSÆ, PAVLI MELISSI ex ÆMYLIA IORDANA Vxore F.

EX lepida Rosinam gignens vxore Melissus,
Mel roseum præter quid genuisse potest?
Et Rosinam potuit pariens ex patre Melisso,

Melli-

Mellitam præter quid peperiſſe roſam?
Iure igitur Roſinæ pariter, paritérque Meliſſæ,
Hæc duplici duplex omine nomen habet.
At tu, quo Roſina eſt, quo dicta fauente Meliſſa,
Iſta, Deus, Roſinæ da quoque vota tuæ,
Quàm roſa grata oculis, qualem roſa ſpirat odorem
Quàm gratus puri mellis in ore ſapor,
Hæc placeat forma, ſapiat ſic mente iubeto
Vt ſit virginei mox decus omne chori:
Quinetiam Roſinam qui progenuêre parentes,
Mella roſáſque inter ſint, maneántque diu.
Vt plures ſurgant Roſinæ, pluréſque Meliſſi,
Quique ſuum referant nomine réque genus.

Priere de l'ame fidelle, ſe trouuant laſſée és trauaux de ſon pelerinage.

HElas mon Dieu, quand ſera-ce
Que ie pourray voir ta face?
Quand ce throne glorieux
Sera-il veu de mes yeux?

Face non pas courroucée,
Mais en celuy appaiſée.
Qui m'a d'vn tout endebté
Faict vn du tout acquitté.

Throne aux meſchans effroyable,
Comme aux tiens treſdeſirable.
Que tu as faits, d'ennemis
Par toy meſmes tes amys.

Las quand la chair qui me tue,
Par ton eſprit abbatue,
Pour n'en releuer iamais
Me laiſſera elle en paix?

Quand prendra fin ceſte guerre
Entre mon Ciel & ma Terre?
Quand ne debattront en moy
La defiance & la foy?

Las

Lamentatio animæ Christianæ ad æternam vitam anhelantis.

O quando, quando, mi Deus,
Hoc me bono dignaberis,
Splendore vultus vt tui
Præsente præsens perfruar?

Vultus serena splendeat
Qui luce quauis purior,
Vultu ipse qualis cœlitus
Aspectus olim sum tibi:

Quum mille mille criminum
Obnoxium pœnis tibi.
Solutor, at non debitor,
Me liberum dimitteres!

O quando tandem, mi Deus,
Quando insidentem gemmeo,
Excelsa supra sydera
Te conspicabor in throno?

Throno tui cultoribus
Cunctis ter optatissimo,
Throno tuis sed hostibus
Summè timendo cæteris.

Natiua

Las quand la volonté miene
Maistrisée par la tienne,
Ne voudra pour tous ses vœux,
Vouloir que ce que tu veux?

Las, quand ta pure science
Regnant sur ma conscience,
Guidera tous mes desirs?
Reiglera tous mes plaisirs?

Ce sera quand hors du monde,
Monde tant vain & immonde,
Ta main m'aura retiré
Iusqu'en ton port asseuré.

Lors que les Cieux pour la Terre,
La vraye Paix pour la Guerre,
Ce que iamais œil ne vit,
Iamis oreille n'ouyt,

Iamais ne pensa cœur d'homme,
Bref ce que tu as en somme,
Pour tes esleus ordonné,
Par toy leur sera donné.

Alors que la iouyssance
Surpassant toute esperance,
Leur fera sentir de faict
De tes promesses l'effect.

Natiua quæ meas adhuc
Lues medullas obſidet
Turbare me tot anxium,
Ecquando curis deſinet?

Lis iſta quando deſinet
Hinc Carnis, inde Spiritus?
Ecquando diffidentiam
Victrix fides peſſundabit?

Meam tui ſcientia
Regente conſcientiam,
Ecquando mens iſtæc mea
In te recumbet vnicum?

Quod velle me voles, volet?
Vitabit omne quod vetas?
Quod appeti vis appetet?
Quod negligi vis negliget?

Tunc nempe quum terræ loco
Tua recepti regia,
Tuæ tecum certiſsima
Pacis fruemur gloria.

Conſpecta quando nemini,
Audita quando nemini,
Quum cogitata nemini,
Tui dabis timentibus.

Car il t'a pleu le promettre,
Voire iusques a te mettre
En croix pour tes ennemis,
Pour en faire tes amys.

Mais attendant c'est eschange
Tire moy de ceste fange
Victorieux és combats
Liurés aux tiens icy bas,

Ne permets qu'en c'est orage
Mon ame face naufrage,
Plustost de son corps la mort
Luy soit vn vray passeport.

Pour iusques à toy rauie
Gouster ta celeste vie,
Attendant que soit resioinct
Ce que mort aura desioinct.

Et qu'entrés en ta lumiere,
Tous deux quittans la poußiere,
Trouuent en ton firmament
Eternel contentement.

Vt ipsa te res comprobet,
Quàm polliceris ampliter,
Promissa tam solere te
Præstare liberaliter.

Vt qui fidem semel datam
Ipsis tibi rebellibus,
Ipsa cruentus in cruce
Plenè volens persolueris.

Sed inter ista, ne, rogo,
Tot obrutum me fluctibus,
Anima quoque ipsa naufragum
Totum sinas submergier.

Animam sed istam corporis
Mors ipsa sursum transferat,
Degustet illic vt nouæ
Parata vitæ munera.

His dum reuinctis denuò
Semel relicto puluere,
Æterna tecum gaudeam
Certæ quietis gaudia,

ADMONITIO DE HOC OPERE ET HAC APPENDICE.

HÆC tota editio primùm cœpta, & maxima ex parte fuit abſoluta à Stephano. Deinde verò quum præter expectationem nacti tandem eſſemus figuras Emblematum, atque eximius vir D. Iohannes Iacomotus Barrenſis interea temporis feliciter vertiſſet Abrahamum ſacrificantem, auctum non parùm fuit Opus, & ad finem poſtea perductum à Iacobo Stœro. Ad Appendicem verò quod ſpectat, addita ſunt quæ ſuperiùs fuerant prætermiſſa, nec citiùs ab amicis, apud quos latebant, haberi poterant: atque hinc aliquando in ſuũ quælibet locũ, ſi reiteranda eſſet Editio, erũt tranſponenda. Sunt etiã hîc quędã planè noua, qualis eſt dulciſſima illa Lamentatio animæ Chriſtianæ ad vitam æternam anhelantis: quale eſt heroicum illud in Dioſcoridem Sarraceni: qualia ad Meliſſum Epigrammata: quale in primis & illud eſt in PVTEANVM, cuius impudentiſſimum de Theodori Bezæ Apoſtaſia mendacium per totũ Europam, magno aduerſariorum cum applauſu ſparſum, dignum profectò hac fuit commendatione

tione,dignum memoriaperpetua. Licèt autẽ ſummus & ſanctiſſimus ſenex Dn. Beza totus hactenus in hac ſenecta fuerit & adhuc ſit in illuſtrandis Annotationibus Maioribus in N. Teſtamentum, ac ferè Cygneam illis cantionem addiderit,tamen vt ſeueriores iſtas temperaret Meditationes, vt amicis gratificaretur,virtutem ornaret, vitia deteſtaretur,ſolitus eſt in hũc vſque diem ludere interdum Epigramma,& quidem tanta cum felicitate, tanto cum acumine,vt hoc ipſum vegetæ ipſius ac admirabilis ſenectæ contra improbiſſimorum hominum falſos clamores, indicium eſſe poſſit clariſſimum. Cæterùm monentur hîc Typographi, ne temerè, & ſine voluntate familiæ Zaſtriſellorum hoc opus recudant, vel ad minimum Iohannem Paludium Philophilum qui huius rei curam in ſe ſuſcepit,priùs conſultent. Poſſet enim eos, ſi qui contra fecerint,facti ſui pœnitere.

Ad finem additum hoc est carmen, quia in fine demum fuit redditum: sed suo tempore suum in locum collocandum.

In Repentinum & immaturum obitum summorum, Germaniæ Principum,

ILLVSTRISS. PRINCIPIS, IOANNIS CASIMIRI, Comitis PALATINI ad Rhenum, Palatinatus electoralis administratoris, Bauariæ ducis, &c.

ET,

ILLVSTRISS. PRINCIPIS, RE ET Nomine CHRISTIANI, Ducis SAX. S. R. I. Electoris, Landgr. Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Burggr. Magdeb. &c.

THRENVS.

Nil insculpta opus est vt cuiquam marmora narrent
Quantus superstes vixeris,
Casibus in miris, dux Casimire, piorum
Tutela fortis omnium,
Hoc defensa tuis iterúmque iterúmque sub armis
Testatur (ecce) Francia:
Viribus hoc seruanda tuis, si fata tulissent,
Testatur omnis Belgica.
Rhenus id ipse tuus clamat, quum iura tuentem
Sacrata Christi & Cæsarum,
Non Latiæ, non te Hispanæ tenuêre phalanges,
Potente fretum numine:
Altera victorem nisi te iam iámque futurum

Pietas

Pietas reduxisset domum.
At nunc te Franci, Belgæ, Rheni accola, lugent,
Et patria supra cæteros:
Amissum qualis deplorat nata parentem,
Vel patre si quid charius.
Quos inter, quinam tua te Casimire Geneua,
Deuincta tot modis tibi,
Consiliisque opibúsque tuis adiuta, sileret,
Plorantibus te cæteris?
Sed sit iusta licet lacrymarum causa, deóque
Displiceat indolentia,
In cœlos potius te, princeps magne, receptum
Fas gratulari sit tibi:
Quàm, nostra immodicè dum flemus damna, videri
Lugere nobis, non tibi,
Iustius & quanto nostra hæc ploratio sese
Nostra in scelera conuerterit?
Hæc etenim iustas accendunt numinis iras,
Sua iaculantis fulmina.
Hæc faciunt varias natet inter vt orba procellas
Nauis suis rectoribus.
Hoc te, Saxonicis nuper regnator in oris.
Re, Christiane, vt nomine,
Ætatis flore in medio, quum fœdere sancto
Sanctis adesses regibus,
Heu, quàm immatura, subita quàm morte peremptũ,
Solo abstulit! cœlo intulit
Hinc est, pœnè simul repetitis saucia plagis

Quod eiulat Germania.
Quî cum tota ſuos adiungit Gallia planctus,
Et tota mœret Albion.
At tua, ſumme Pater, rata ſint promiſſa iubeto,
Nec pœnitentes deſpice:
Sed quæ tu nobis ſanctorum ſalua parentum
Eſſe voluiſti pignora,
Numine plena tuo, & cunctis virtutibus aucta,
Fac ſuppleant patrum vices:
Quos inter teneris princeps iam magnus in annis,
Tanto educatus patruo,
Heroum felix ſoboles Fridericus, auorum
Sit inſtar vnus omnium.

THEODORVS BEZA.

Emendanda nonnulla.

Pagina 19.linea 4.pro illiuêre, lege *illeuêre*: pag.21.lin.20. lege *Ionium*: pag. 26. lin.4. pro Philomela lege *Philomelam*: pag.57.poſt lineam 17.adde *Sylua X*. pag.67. lin. 17. dele alterum *non*: pag. 69. lin.15.lege *licet*: pag.74. lin.1.pro Iohannis lege *Laurentij*: pag. 88. lin. 10.lege *huic*: pag.106.lin.15.lege *Virginis*: pag.112.lin.16.lege *ſordet*: pag.113.lin. 21. lege *aëra*: pag.129.lin.11.lege חולריאום pag.130.lin.5.lege φλωρεντπ'ν: pag.132.lin. 20. lege αἰκζαγρὲστται p.154.lin.19.adde *& iſtum*: p.157.lin.12.lege *alternáque*: p.172.lin.12.lege *pinſens*: p.177. lin. 16. lege *Altæ*. p.200.lin.23.lege *Vendicat*: pag.222.lin.4.lege P*enſiue, larmoyant ſur ſon lict vn'eſpace*: p.235.lin.25.lege *Ambitioſe*: pag.240.lin.22.lege *ergò vos*; & lin.23.lege *vt ebrietas*.
pag.231.lin.1.leg.*Iniecto*: pag.232.lin.5.leg.*dicta*: pag.247.lin.5.leg *quot*: pag.263.lin.1. leg. *euadens*: pag.267.lin.2.leg.*campana*: pag.274.lin.20.leg.*admittas*. pag.281.lin. 22. *mitis ſit*, *dele* ſit, pag.313.lin.22.leg.*vinctis*: pag.314.lin.11.leg.*ſeclis*: pag.315.lin.3.leg.*almi*: pag. 318. lin. 21. leg. *fauente*: pag.330.lin.8.leg.*refigis*: pag.332.lin.8.leg.*legibus*: pag.334.lin.21.leg. *totus, ecce, horreſco*: pag.338.lin.1, ante Heu.ſcrib.ISA.pag.356.l.10.leg.*præceps*.